

# Vak 2

Heer

Alkmaar.

## TUTA SEMINARI.

Amst.

50

Aret

an

Bkk

EBes

Jom

Breda.

Delft.

'hor

l

ve.

Haaren

Haarlen

jjs.



Vak 2  
115

# STATUTA SEMINARII DIŒCESIS BUSCODUCENSIS (2<sup>æ</sup>. Sectionis in Haaren)

jam pridem anno 1850


ORDINATA ATQUE PRÆSCRIPTA  
AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

HENRICO DEN DUBBELDEN,  
Episc. Emausensi, i. p. i., Vicar. Apost. Buscoducensi,  
revisa ac denuo proposita  
anno 1883  
per Episcopum Buscoducensem  
ADRIANUM GODSCHALK.



Gestel St. Michaëlis,

EX TYPOGRAPHIA DIŒCESIS BUSCODUCENSIS  
IN INSTITUTO SURDO-MUTORUM.



*Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos  
et misericordia, et super Israël Dei.*

AD GAL. VI. 17.



HENRICUS DEN DUBBELDEN,  
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA  
EPISCOPUS EMAUSENSIS (IN PART. INF.)  
VICARIUS APOSTOLICUS BUSCODUCENSIS,  
B. R. admodum D. D. Præsidi, Directori, Profes-  
soribus, nec non charissimis Seminarii  
nostrri (2. Sect.) Alumnis,  
salutem in Domino!

Quanti ponderis sit Seminarium bene institutum, idoneisque regulis munitum, ex concilii Tridentini ac Romanorum Pontificum actis satis abunde innotescit.

Imprimis sancta Synodus, Sess. XXIII. Cap. XVIII. de Ref., de *Seminariis*, ac præsertim de *Regulis* inibi ab Ordinario figendis late tractat, simulque et methodum tradit, juxta quam dictæ Regulæ constituantur earumdemque constanti observationi provideatur.

Magnam ex Seminariis ita ordinatis orituram utilitatem præsagientes Tridentini Patres, ingenti cum gaudio decreatum exceperunt, adeo ut (referente PALLAVICINO) (\*) „plures Patres affirmarint, ubi nullus fructus ex hoc Concilio decerptus fuisset, hunc labores omnes et incommoda compensaturum;” neque spem bonam eventus fecellit, quare R. Pontifex GREGORIUS XIII, qui fructuum primitias sub S. CAROLO conspexerat, asserere non dubitavit, Seminariorum institutionem *afflatu Divino* a Tridentinis Patribus decretam fuisse. Mirandum igitur non est subsequentes RR. Pontifices, dignissimos tam fœundi instituti æstimatores, nunquam destitisse zelum et vigilantiam Episcoporum in instituendis et bene dirigendis Seminariis nutrire, et, si possent, augere. Ut pauca, quæ recentiora sunt, Pontificum monita adducamus, BENEDICTUS XIV, in Epistola Encyclica et commonitoria, initio S. Pontificatus sui, ad universos Episcopos totius orbis Catholici directa dd. 3<sup>a</sup> Decembris 1740, § II. hoc modo Episcopos alloquitur:

„Et quoniam supra quam dici possit interest eos, qui in sortem Domini vocantur, ab ineunte ætate ad pietatem, morumque integritatem et ad canonicam disciplinam, veluti novellas plantationes in juventute sua informari; cordi idcirco vobis esse debet, ut, ubi forsitan nondum instituta fuerint clericorum Seminaria, quam citissime instituantur, vel jam instituta amplificantur, si majori alumnorum

(\*) Hist. Conc. Trid. Lib. 21. Cap. 8. N<sup>o</sup>. 3.; item FELLER, Art. PIE IV.

numero pro ecclesiarum conditione opus sit, adhibitis in eum finem mediis, quorum parandorum potestate Episcopi jam sunt instructi; et quibus alia etiam, si de eorum necessitate a Vobis edocti fuerimus, addituri et Nos sumus. Eadem vero Collegia singulari vestra sollicitudine foveantur necesse est, videlicet ea saepe invisendo, singularum adolescentium vitam, indolem et in studiis profectum explorando, magistros idoneos virosque ecclesiastico spiritu praeditos ad eorum culturam destinando, litterarias ipsorum exercitationes, sive ecclesiasticas functiones quandoque praesentia vestra decorando, aliqua denique beneficia iis, qui virtutum suarum specimen clarius praestiterint, majoremque laudem retulerint conferendo. Hujusmodi enim irrigationem arbusculis hisce, dum adolescent, ministrasse non vos paeniteat, sed vestro opere laetissimum deinde vobis referet fructum in uberi bonorum operariorum copia. Consueverunt enim Episcopi saepius dolere messem quidem esse multam, operarios autem paucos: at fortasse eis quoque dolendum esset, non eam, quam debuissent industriam ipsos adhibuisse, ut operarii ad messem pares aptique formarentur; boni namque et strenui operarii non nascuntur, sed fiunt; ut autem fiant, ad Episcoporum solertiam industriamque maxime pertinet.” BENEDICTUS XIV, in *Epist. Encyclica et commonitoria ad omnes Episcopos de die 3 Decembbris 1740.*

Nec minus graviter hortati sunt PIUS VI, PIUS VIII, LEO XII, et novissime PIUS IX, in mediis procellis for-

titer æque ac gloriose regnans, qui in Encyclica dd. 9<sup>a</sup> Novembris 1846, ita scribit :

„Præclare scitis (Episcopos alloquens) Vobis summo-  
pere cavendum, ne cuipiam, juxta Apostoli mandatum,  
eito manus imponatis, sed eos tantum sacris initietis Or-  
dinibus, ac sanctis tractandis admoveatis Mysteriis, qui  
accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium or-  
natu et sapientiæ laude spectati, vestris Diœcesibus usui  
et ornamento esse possint ... Melius enim profecto est,  
ut sapientissime monet immortalis memoriæ BENEDICTUS  
XIV, Decessor Noster, „*pauciores habere ministros, sed  
idoneos, atque utiles, quam plures, qui in ædificationem  
Ecclesiæ ne quidquam sint valituri.*” Et paulo inferius per-  
git Pontifex : „Cum autem, Venerabiles Fratres, vestram  
sapientiam minime fugiat, idoneos Ecclesiæ ministros non  
nisi ex optime institutis Clericis fieri posse, magnamque  
vim in recta horum institutione ad reliquum vitæ cursum  
inesse, pergit omnes Episcopalis vestri zeli nervos in id  
potissimum intendere, ut adolescentes Clerici vel a tene-  
ris annis tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad  
litteras severioresque disciplinas, præsertim sacras, rite  
informatur. Quare Vobis nihil antiquius, nihil potius  
esse debet, quam omni opera, solertia, industria, Cle-  
ricorum Seminaria ex Tridentinorum Patrum præscripto  
instituere, si nondum existunt, atque instituta, si opus  
fuerit, amplificare, eaque optimis moderatoribus et ma-  
gistris instruere, ac intensissimo studio continenter ad-

vigilare, ut inibi juniores Clerici in timore Domini et ecclesiastica disciplina sancte religioseque edificantur, et sacris potissimum scientiis juxta Catholicam doctrinam.... sedulo ac penitus excolantur, quo habere possitis gnavos atque industrios operarios, qui ecclesiastico spiritu præditi, ac studio recte instituti, valeant in tempore Dominicum agrum diligenter excolere ac strenue præliari prælia Domini."

Quod si tam præclaris RR. Pontificum incitamentis superaddenda jam forent pastoralis sollicitudinis argumenta, quibus Ecclesiarum Præsules, sanctitate et doctrina conspicui, Seminaria sua foverunt, profecto longe præmonitionis limites sermo excurreret; nominare tamen licet S. CAROLUM BORROMÆUM, qui in omnibus, quæ Tridentina Decreta concernunt, fidelissimus ejusdem Concilii interpres a BENEDICTO XIV laudatur, et ob egregie juxta Tridentini mentem instituta Seminaria, omnium Seminiorum pater et patronus habetur (\*); quare inter regulas pro Seminariis editas institutiones Seminarii Mediolanensis ecclesiæ principe loco assignari, et ex iis, tanquam ex fontibus, statuta aliorum Seminiorum hauriri solent.

Huic Seminariorum patri jungendi sunt (neque enim eos præterire fas est) illustres ecclesiæ Buscoducensis Antistites METSIUS, MASIUS, ZOËSIUS, qui temporibus licet difficillimis, in cura Seminarii sui egregia specimina zeli

[(\*)] THOMASSIN. V. et N. Discipl. P. II. L. I. Cap. 102. n° 10.

et vigilante<sup>re</sup> pastoralis dederunt; testes horum sunt his-  
toria Episcopatus nostri et utraque Synodus Buscoducen-  
sis (anno 1571 et 1612 habita); verum eorum opus aut  
persistere non potuit ant temporum injuria collapsum ad  
nos non pervenit, et ab eorum successoribus longo tempore  
intermitti debuit. Primum sub finem s<sup>e</sup>culi elapsi, extincta  
Universitate Lovaniensi, p. m. Reverendissimo ANTONIO  
VAN ALPHEN, antecessori nostro in Vicariatu Apostolico,  
novum pro Vicariatu nostro Seminarium, zelo incredibili  
et magno labore, sive temporum calamitatem sive operis  
fervorem spectemus, erigere datum fuit; adjutus in opere  
fuit doctus Praesul consilio et ope Eximiorum Domino-  
rum VAN GILS et MOSER, quos omnes tres jure merito-  
Seminarii (quale hodie existit) restauratores non tantum,  
verum etiam fundatores nuncupamus. Non defuerunt etiam  
viri tam eximii optimis Regulis, juxta Tridentini præ-  
scriptum, Seminarium Nostrum instruere, juxta quas Sanct-  
tuarii Alumni ad clericalem vitæ normam informarentur.

Nos, tantorum virorum vestigiis insistere cupientes,  
omnem, pro ratione muneris Nostri, curam ac sollici-  
tudinem adhibere conati sumus, ut dictæ leges, novis  
etiam subinde, prout res ferebat, superadditis, sub lau-  
datissimis Moderatoribus studiose observarentur.

Verum cum nova Seminarii exstructione circumstantiæ  
in multis mutatæ sint, ipsaque adeo experientia edocue-  
rit, in quibusdam saltem disciplinæ punctis modificatio-  
nem aut renovationem requiri, operæ pretium fore arbit-

trati sumus Statuta illa, ut sparsa sunt, colligere; imo vero in majus Alumnorum commodum (sicut in plerisque aliarum Diœcesium Seminariis fieri hodie consuevit), typis ea mandare; probe enim novimus multo utilius fore, si Statuta impressa singuli Alumni manibus teneant, ut non solum litteram, sed sensum quoque et spiritum Regularum iugi meditatione acquirant.

Opportune in hoc negotio Nobis accidit, ut anno elapso Eminentissimus Dominus Cardinalis et Archiepiscopus Mechliniensis Statuta Seminarii sui ediderit, ac Nobiscum ea benigne communicare dignatus fuerit. Et vero meliorem Dueem eligere non potuimus. Etenim memoratum volumen pervolentes, comperimus non solum leges Disciplinares hic vigentes in eo contineri eminenter; sed insuper ob præclarissimum in Statutis servatum ordinem, monitaque moralia interposita, opus istud summopere commendari. Nec mirum, siquidem ipse Eminentissimus Auctor, præterquam ex S. CAROLO BORROMÆO, ex optimis undequaque conquisitis regulis, puta Seminariorum *Romani*, *Veliternensis*, *Farsensis*, etc. etc. Statuta sua magna industria collegerit, atque hodiernis necessitudinibus accommodarit.

Quare, implorato Divino Numine et consilio Illustrissimi Coadjutoris Nostri, auditisque RR. DD. Præside, Directore et Professoribus Seminarii, rem optimam facturos. Nos æstimavimus, si præfata Statuta, paucis solummodo pro circumstantiarum varietate immutatis, pro Se-

minario Nostro adoptare et, prout infra leguntur, in  
Seminario Nostro servanda præscriberemus.

Auctoritate igitur Nostra Apostolica ea ipsa Statuta,  
quæ hic sequuntur, approbamus et confirmamus, eisque  
robur inviolabile et perpetuam obligandi vim adjicimus;  
eadem auctoritate Nostra praecipientes, ut, præter Nos  
et Successores Nostros, nemo quidquam adjiciat, demat  
aut immutet, sed omnes ad quos spectat, vel in futu-  
rum spectabit, cuncta accurate observent et adimplent,  
vel observari et adimpleri curent.

## ADRIANUS GODSCHALK,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS BUSCODUCENSIS,

Moderatoribus et Alumnis Seminarii,

salutem et pacem.

Nostra facientes quæ superius de Statutis Seminarii  
eorumque sedula observatione præclare dicta sunt; vo-  
lentes insuper, ob summum rei istius momentum, inte-  
gram perfectamque illorum executionem pro munere et  
viribus nostris tueri ac promovere, hæc ipsa Statuta, im-  
mutatis iis quæ temporis lapsu moderanda vel complenda  
videbantur, rursum imprimi curavimus. Dixit aliquando  
**S. IGNATIUS DE LOYOLA**, disserens de Regulis Societatis  
**JESU**: „Ex observatione Regularum pendet propria per-  
fectio singulorum, sine qua, quidquid demum agas, ad-

sancitatem nunquam pervenies ; cum qua sanctitatem certo attinges, absque illusione et periculo. Quod utrumque de minimis etiam Regulis verum est” (*Exerc. spirit.* consid. X). Veridica hæc dictio ad Statuta Seminarii pari modo applicari potest. Omnes igitur et singulos Seminarii Alumnos in Domino admonemus, ut ejusdem Statuta velut totidem Dei eloquia considerent, et qua talia, quanto possunt amore ac pietate, non amplectantur solum et legant, sed mente animoque comprehendant, servent, omnique sollicita executione præstent, seseque totos ad illorum præscripta accommodare studeant. Noverint insuper hæc ipsa Statuta non mera consilia seu media esse, quibus Alumni ad pietatem sacerdotalem et scientias ecclesiasticas efformandi sint; verùm magna ex parte totidem Regulas sive Præscripta esse, quibus cum Illmo Prædecessore nostro „perpetuam obligandi vim adjicimus”; adeo ut quivis Seminarista hisce *de se in* conscientia, sub peccato np. veniali, obtemperare teneatur. Sit igitur omnibus alta mente repositum principium istud anreum: nunquam deliberata voluntate sine causa excusante ullum *Præscriptum* transgredi; atque etiam ea, quæ mere *consuluntur*, pro viribus adimplere ac persequi. — *De cætero fratres* (ut cum S. PAULO loquamur) *si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitare . . . hæc agite; et Deus pacis erit vobiscum.*

---

# **STATUTA SEMINARII**

## **DICECESIS BUSCODUCENSIS**

(2<sup>æ</sup> SECTIONIS).



### **CAPUT I.**

#### **De admissione et ingressu in Seminarium.**

1. Pro admissione adolescentum, qui Seminario adscribi postulabunt, quotannis examen instituetur ante ferias maiores in ædibus Seminarii 1<sup>æ</sup> Sectionis, die et dato in *Communicandis* anni currentis designandis.
2. In Seminarium intrantes corde et animo valedicent omnibus negotiis sæcularibus. Deinde totos se Dei et Ecclesiæ servitio devoentes, paratos se exhibebunt ad omnia et singula exequenda quæ pro continuo in virtutibus et scientiis progressu injuncta fuerint.
3. Statim atque Seminarium ingressi fuerint, hæc Statuta sibi comparabunt, omnemque adhibebunt diligentiam, ut ea accurate cognoscant atque ad amussim observent.

## CAPUT II.

**D**e fine quem Alumni Seminarii sibi proponere debent.

4. *Adolescentes*, ait S. CAROLUS BORROMÆUS in Institutionibus Seminarii part. 3. cap. 1., *qui singulari Dei beneficio sunt delectii ut in Seminario instituantur, id potissimum intelligere debent, cuius gratia Concilii Tridentini decreto Seminaria instituta sint, et intelligentes saepius animo repetere, omnesque nervos intendere ut illud, divina operis suffragante, ad animarum salutem, ad Ecclesiæ utilitatem et ad pastorum solamen consequantur.*

5. Sunt namque ea de causa instituta Seminaria, ut iniis boni strenuique operarii efformentur, qui ad nutum Episcoporum diœcesibus inserviant. *In hoc vero collegio, inquit Concilium Tridentinum de Seminario loquens, recipiantur quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. . . . hos Episcopus, cum ei opportunum videbitur, ecclesiarum ministerio addicet.*

6. Et revera in illum finem tota Seminarii institutio atque disciplina refertur; Alumni enim a vanitatibus et illecebris mundi remoti, a parentibus et propinquis separati, undique circumdati mediis intellectum illustrantibus et voluntatem moventibus, facile in virtutibus et scientiis proficiunt. Præterea mensa frugalis, somnus moderatus, orationis assiduitas, lectionum et collationum frequentia, Superiorum vigilantia, sociorum exempla, aptissima media-

sunt quibus digni et idonei ministri Ecclesiæ efformentur.

7. Igitur Alumni intentioni Ecclesiæ sese conformantes, ea sint mente et voluntate, idque sibi quotidie proponant, ut evadant boni sacerdotes ad hujus diœcesis utilitatem. Exemplum S. BERNARDI imitantes, sæpe hisce illis verbis se interrogant: *Ad quid venisti?* et continuo renovent firmum propositum acquirendi omnes virtutes omnesque scientias quæ idoneo Ecclesiæ ministro vel necessariæ sunt vel utiles esse possunt. Grato etiam animo considerent specialem Dei erga ipsos bonitatem et munificentiam, qua eos ad sublimem sacerdotii statum vocat et occasionem præbet perveniendi ad exquisitam rerum sacrarum scientiam magnamque sanctitatem; adeoque nullam diem præterire sinant, qua non generoso animo sese totos Deo offerant devoveantque.

8. Quia vero sine speciali Dei gratia scopum istum attingere nequeunt, sæpe ingeminent cum Rege Prophetæ: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (Psalm. CXVIII). Sæpe etiam a Deo petant cœlestem illam sapientiam, qua Deo et hominibus grati reddantur, dicentes cum SALOMONE: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam et noli me reprobare a pueris tuis, quoniam servus tuus sum ego..... Mitte illam de sedibus sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut tecum sit et tecum labore, ut sciām quid acceptum sit apud te* (Sap. IX).

9. Alumni sincero amore Seminarium diligant, tum ob illius utilitatem, quæ tanta est, ut merito a nonnullis

scriptoribus dictum sit, quod si præter Seminariorum instaurationem, nihil utilitatis a Concilio Tridentino in Ecclesiam promanasset, equidem Patrum labores et incommoda abunde compensata fuissent (\*); tum etiam ob felicem in eo vivendi rationem, quæ mores primorum christianorum referre videtur: unus namque est omnium Alumnorum finis, unus ordo diei, una mensa, unus labor, unus spiritus, *cor unum et anima una* (Act. IV. 32). *Hanc igitur domum*, ut monent Constitutiones Synodales S. FRANCISCI SALESII, considerent ut locum gratiæ et benedictionis, ad quem veniendum ipsis est cum gudio, eaque sola intentione ut acquirant scientias et virtutes tremendo ministerio, ad quod præparantur, necessarias.

### CAPUT III.

#### De acquisitione virtutum.

10. *Cum duo præcipue, ait S. CAROLUS BORROMÆUS, in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas vi- delicit et doctrina, earum utraque in Seminario est compa- randa. At sicut probitatis major est necessitas quam doc- trinæ, sic in ejus studio magis est allaborandum; cum præ- sertim acquisitio virtutum in uniuscujusque assiduitate et industria, potius quam in Rectorum aut Præceptorum dili- gentia sit posita; ita ut nisi quis laborem adhibeat, non multum aut nihil aliorum illi vigilantia sit profutura.*

(\*) PALLAV. Historia Conc. Trid. Lib. 21. Cap. 8.

11. Porro si omnes christiani acquirendis virtutibus in-  
cumbere debent, juxta illa CHRISTI Salvatoris verba: *Esto-  
te ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfec-  
tus est*, multo magis perfectioni intendere debent Semina-  
rii Alumni, qui Deum in partem hæreditatis elegerunt  
et de numero corum esse cupiunt, quibus CHRISTUS dixit:  
*Vos estis sal terræ.... vos estis lux mundi.*

12. Inde sequitur illos e Seminario dimittendos esse,  
qui licet studiis diligenter incumbant, in pietate tamen  
desidiosi sunt, et tepido vivendi modo alios a sedulo pie-  
tatis studio retrahunt, vel etiam a sequendis Superiorum  
consiliis avertunt.

13. S. VINCENTIUS A PAULO, qui sæculo decimo sep-  
timo restaurandis in Gallia Seminariis præcipuus auctor  
fuit, modum aptissime designavit quo Alumni debitam  
perfectionem acquirant. Vult enim, ut in primis solli-  
cite conentur omnes pravos habitus in sæculo forsan con-  
tractos exuere, et cor ab omni inordinato affectu erga  
creaturas expurgare; deinde progrediantur in cognitione  
et amore Dei, cuius servitio se devovere volunt; verita-  
tibus christianis et præceptis Evangelicis a CHRISTO re-  
velatis totos se imbuere studeant; cordibus suis alte in-  
figant principia sanctitatis et perfectionis, ac firmiter sta-  
tuant imitari vitam et virtutes JESU CHRISTI (\*).

Igitur Alumni debent 1.<sup>o</sup> pravos habitus exuere et  
cor ab omni inordinato affectu erga creaturas expurgare;

(\*) ABELLY, vie de S. VINCENT DE PAUL, Liv. 2. Ch. 12.

2º. debent continuo anniti ut progrediantur in omni virtute, maxime in amore Dei, cui se totos devovere cupiunt; 3º. debent CHRISTUM Salvatorem sibi tamquam exemplar proponere, doctrinis ejus sese imbuere, cunctasque illius virtutes imitari juxta monitum Apostoli: *In diuinimi Dominum nostrum JESUM CHRISTUM*; nam, ut ait S. HIERONYMUS, *qui conversationem illius imitari potest et universas in se exprimere virtutes, iste induitus est novum hominem et dicere cum Apostolo potest: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me CHRISTUS.* Eo autem magis necesse est, ut Alumni CHRISTI spiritum ac formam præ se ferre studeant, quod aliquando ejus legatione fungi ejusque ministri et cooperatores fieri desiderent.

14. Ad extirpanda vitia et inordinatos affectus exuendos, Alumni sequentur methodum traditam a Patrono suo sancto FRANCISCO SALESIO, parte prima *Introductionis ad vitam devotam*, a cap. 5. ad finem; præcipue vero conabuntur vitium suum dominans cognoscere et extirpare, eum sit origo omnium fere lapsuum, coque superato cæteri defectus facilius corrigantur.

15. Ad perfectionem acquirendam in primis advertant humilitatem esse fundamentum omnium virtutum, superbiam vero radicem omnium vitiorum. Propterea omnem adhibeant curam, ut vel minimum superbiæ motum in se comprimant, et profundam adipiscantur cordis humilitatem, sine qua nequeunt esse veri discipuli CHRISTI dicentis: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

Totus quoque habitus exterior humilitatem spiret, eique conjugatur individua humilitatis comes, mansuetudo.

16. Frustra vero laborabunt ut acquirant humilitatem, nisi ad illam tendant per viam humiliationis. *Humilitatis virtutem si appetis*, inquit S. BERNARDUS, *viam non deserat humiliationis*. Ultero igitur amplectentur humiliationes a Superioribus imponendas; minora etiam officia aut quæ inclinationi repugnant, æquo animo adimplebunt; quinimo parati erunt abjecta quæque opera ex obedientia et charitate exercere. Nec umquam erit inter eos contentio quis eorum videatur esse major, nec disputatio de præferentia; sed unusquisque ultimum etiam locum libenter occupabit.

17. Aliam dein virtutem fundamentalem in corde nutrire et augere conabuntur, fidem scilicet *sine qua impossibile est placere Deo*. Illius igitur augmentum continuo postulabunt a Deo, cuius donum est, eamque crebris actibus fovebunt, recitando cum pleno mentis assensu non tantum ordinarias formulas actus fidei, sed etiam usitata symbola ipsamque professionem fidei a PIO IV et PIO IX editam.

Discant etiam magis magisque omnem spem et fiduciam in Deo collocare, ac se disponere ad ardua quæque suscipienda propter vitam æternam: ita enim fiet ut postea labores et incommoda in sacro ministerio occurrentia forti animo sustineant.

Considerent pariter charitatem esse omnium virtutum excellentissimam, juxta illud S. PAULI: *Major autem ho-*

*rum est charitas*; nec sine ea ullam perfectam virtutem posse subsistere, ut demonstrat S. THOMAS secunda secundæ quæst. 23. art. 7; illam vero vel maxime sacerdotibus esse necessariam, cum ex ea proficiisci debeat sincerus zelus divini honoris et salutis animarum.

18. Diligens insuper studium collocent in acquirendis et augendis virtutibus cardinalibus; præcipue vero prudentiam sectentur, quæ a S. BERNARDO merito vocatur *moderatrix et auriga virtutum*, et quam pro directione animarum summe necessariam esse constat. Cæterarum quoque virtutum moralium regulas ac praxes a Theologis et Asceticis traditas cognoscere satagant, mediaque in eis proficiendi serio adhibeant.

19. Alumni Seminarii speciatim eminere conentur illis virtutibus, quæ statui suo magis sunt propriæ; et ita, juxta monitum S. CAROLI BORROMÆI, *mutuam charitatem ac benevolentiam omni studio amplectantur, ut quemadmodum debent, tamquam unius corporis membra, perfecto amoris vinculo colligentur*. Quare studeant evitare quidquid pacem et charitatem fraternalm minuit aut perturbat. Nulla sit inter eos distinctio vel personarum acceptio, sed omnes sive divites sive pauperes, sive nobiles sive ignobiles pari vivendi modo cohabitent sub communis regulæ regimine, et tamquam ejusdem patris filii; nulla sit æmulatio nisi ut in bono quisque proficiat, secundum monitum S. PAULI Apostoli: *Æmulamini autem charismata meliora* (1 Cor. XII, 31), et illud S. CAROLI BORROMÆI: *Quas in aliis vir-*

Totus quoque habitus exterior humilitatem spiret, eique  
conjugatur individua humilitatis comes, mansuetudo.

16. Frustra vero laborabunt ut acquirant humilitatem,  
nisi ad illam tendant per viam humiliationis. *Humilitatis  
virtutem si appetis*, inquit S. BERNARDUS, *viam non dese-  
ras humiliationis*. Ultero igitur amplectentur humiliationes  
a Superioribus imponendas; minora etiam officia aut quæ  
inclinationi repugnant, æquo animo adimplebunt; quinimo  
parati erunt abjecta quæque opera ex obedientia et cha-  
ritate exercere. Nec umquam erit inter eos contentio quis  
eorum videatur esse major, nec disputatio de præferentia;  
sed unusquisque ultimum etiam locum libenter occupabit.

17. Aliam dein virtutem fundamentalem in corde nu-  
trire et augere conabuntur, fidem scilicet *sine qua im-  
possibile est placere Deo*. Illius igitur augmentum conti-  
nuo postulabunt a Deo, cuius donum est, eamque cre-  
bris actibus fovebunt, recitando cum pleno mentis assensu  
non tantum ordinarias formulas actus fidei, sed etiam usi-  
tata symbola ipsamque professionem fidei a PIO IV et  
PIO IX editam.

Diseant etiam magis magisque omnem spem et fiduci-  
am in Deo collocare, ac se disponere ad ardua quae-  
que suscipienda propter vitam æternam: ita enim fiet ut  
postea labores et incommoda in sacro ministerio occur-  
rentia forti animo sustineant.

Considerent pariter charitatem esse omnium virtutum  
excellentissimam, juxta illud S. PAULI: *Major autem ho-*

*rum est charitas; nec sine ea ullam perfectam virtutem posse subsistere, ut demonstrat S. THOMAS secunda secundæ quæst. 23. art. 7; illam vero vel maxime sacerdotibus esse necessariam, cum ex ea proficisci debeat sincerus zelus divini honoris et salutis animarum.*

18. Diligens insuper studium collocent in acquirendis et augendis virtutibus cardinalibus; præcipue vero prudentiam sectentur, quæ a S. BERNARDO merito vocatur *moderatrix et auriga virtutum*, et quam pro directione animarum summe necessariam esse constat. Cæterarum quoque virtutum moralium regulas ac praxes a Theologis et Asceticis traditas cognoscere satagant, mediaque in eis proficiendi serio adhibeant.

19. Alumni Seminarii speciatim eminere conentur illis virtutibus, quæ statui suo magis sunt propriæ; et ita, juxta monitum S. CAROLI BORROMÆI, *mutuam charitatem ac benevolentiam omni studio amplectantur, ut quemadmodum debent, tamquam unius corporis membra, perfecto amoris vinculo colligentur*. Quare studeant evitare quidquid pacem et charitatem fraternalm minuit aut perturbat. Nulla sit inter eos distinctio vel personarum acceptio, sed omnes sive divites sive pauperes, sive nobiles sive ignobiles pari vivendi modo cohabitent sub communis regulæ regimine, et tamquam ejusdem patris filii; nulla sit æmulatio nisi ut in bono quisque proficiat, secundum monitum S. PAULI Apostoli: *Æmulamini autem charismata meliora* (1 Cor. XII, 31), et illud S. CAROLI BORROMÆI: *Quas in aliis vir-*

*tutes cernunt, eas in seipsis exprimere certatim contendant.*

20. Secundum ejusdem Apostoli monitum se invicem honore præveniant. Juniores specialiter venerentur illos qui ætate majores sunt, maxime cum sacris ordinibus insigniti fuerint. Præsertim vero caveat unusquisque ne consodalibus sit *lapis offensionis aut petra scandali*, vel alliciendo ipsos ad transgrediendum Statuta Seminarii, vel murmurando contra mandata Superiorum, vel aliis quibuscumque actionibus minus rectis.

21. Charitas postulat ut fratrem a via veritatis errantem ad emendationem perducere conemur; itaque si quis videat sodalem delinquentem, observet quæ de correptione fraterna CHRISTUS præscripsit, et si opus sit, rem Superioribus deferat; quod præsertim est, si in sodali vitium deprehendatur, quo sacerdotio indignus effici posset. „Qui de vitio vel delicto alicujus a Superiore interrogatur, ad interrogata sincere respondeat, secus tamquam malorum fautor habebitur.” S. CAROLUS.

22. Quandoquidem *charitas numquam excidit*, si condiscipulum obire contigerit, omnes ferventes ad Deum preces fundent pro refrigerio animæ ejus. Et quidem, si in ipso Seminario defunctus sit, ad normam postremæ Synodi Diœc. cap. 26, celerabuntur in sacello Seminarii exequiæ solemnes; secùs vero prima die non impedita cantabitur Missa solemnis *de requie*. Parentum quoque defunctorum animæ, pro quibus suffragia petuntur, precibus commendabuntur, orando in communi, post rosarium vespertinum,

**Ps<sup>mo</sup>** *Miserere et De profundis cum versibus et orationibus congruis.* Pro sacerdotibus alibi defunctis, qui olim studia sua in Seminario absolverunt, post obitum, accepto illius nuntio, Missa in cantu celebrabitur.

23. Qui vere mitis et humilis est, facile duas alias virtutes acquiret, obedientiam et modestiam, quæ junioris clerici pulcherrima ornamenta sunt; nam, ut S. LEO affirmat, *nihil arduum est humilibus et nihil asperum mitibus.*

24. Obedientia exigit, ut omnes hæc Statuta, utpote ab eo præscripta, quem *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, religiose observent. Itaque accurate adimplerunt quidquid ad comparandas virtutes et scientias præscribitur; diligenter assistent communibus exercitiis, neque unquam sine prævia licentia ab iis ob privata negotia, aut leviores corporis indispositiones se subtrahent. Et quoniam sine obedientia omnem ordinem perturbari necesse est, etiam in minimis obtemperabunt venerabilibus DD. Præsidi, Directori, Professoribus et Confessariis, eisque debitum præstabunt obsequium et reverentiam, ipsos suspicentes tamquam pastores et patres qui felicitati eorum toti devoti sunt. Cum filiali quoque fiducia cordis arcana intimosque affectus ipsis pandent, tanto magis quod difficillime quis in juventute sine alterius consilio cor actionesque suas moderari queat. De defectu vel delicto admoniti humiliter se reos fatebuntur et emendationem spondebunt, neque contra stimulum cal-

citrabunt aut molestos se ostendent. Si quod injungitur minus rectum aut opportunum videatur, cogitent Superiores saepe agere ob rationes quæ subditos latent.

25. Modestiam clericis necessariam esse abunde indicat hoc universalis Ecclesiæ in Concilio Tridentino congregatæ effatum : *Sic decet omnino clericos vitam moresque suos componere, ut habitu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant.* Cogitent igitur Alumni sibi speciatim dicta esse hæc S. PAULI verba : *Induite vos sicut electi Dei, modestiam;* item hæc : *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus;* atque adeo sedulo attendant ad regulas clericalis modestiæ et honestatis, quæ infra Cap. X. proponuntur, atque alibi in Conc. Prov. Tit. VIII Cap. IV, item in Syn. Dicæc. Cap. XXVIII, latius describuntur.

26. Angelicam virtutem castitatis, præcipuum clericorum ornamentum, Seminaristæ diligent tamquam thesaurum pretiosissimum, eamque omni conatu conservare et corroborare studeant; et vel ideo gnaviter incumbant exercitiis pietatis ac studio, cum otium saepe sit occasio cogitationum iniquarum. Sensibus quoque, ac præsertim oculis, semper invigilent, ne mors per illos, tamquam per fenestras, ingrediatur.

## CAPUT IV.

### De exercitiis pietatis in Seminario peragendis.

27. Ut Alumni facilius in virtutibus proficiant, et perfectionem sacerdotio congruentem obtineant, varia ab ipsis pietatis exercitia peragenda sunt, quæ ad istum scopum attingendum efficaciter conducunt. Primum est frequens Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiae susceptio: priore enim Sacramento non solum remittuntur peccata, sed gratia insuper peculiaris confertur, qua vita in melius emendetur; posteriore vero anima maxime confortatur, ut constantes in perfectione progressus faciat, et intime cum CHRISTO conjuncta, mire juvatur ut illius spiritus et virtutum particeps fiat. Saltem confitebuntur omnes singula quindena, diebus præterea festis Ecclesiæ solemnioribus: qui vero saeris ordinibus initiati sunt singulis Sabbatis, vel si in hebdomada occurrat festum notabile, pridie istius festi, atque annuente Confessario, sacram communionem devote suscipient. (\*)

28. Alterum exercitium pietatis, quo Alumni in vita spirituali multum proficient, est meditatio; et hæc quidem quotidie per semihoram comprehensis precibus matutinis, instituenda est. Ut vero fructuose peragatur, primis post ingressum diebus methodus rite et fructuose

(\*) Quid de tempore Confessionis instituendæ, cum respectu ad Indulgentias lucandas, *Sacerdotibus Diæcessis nostræ speciatim indultum sit in Rescripto S. C. de Prop. Fide 22 Nov. 1846, videre est in Stat. Diæc. anni 1852 Art. VII. n. 3.*

meditandi novis Alumnis explicabitur quadrante ante meridiem.

29. Non minoris utilitatis est lectio spiritualis; ea enim homo non tantum instruitur, sed etiam ad virtutem magnopere excitatur, ut constat ex vitis Sanctorum, qui lectione libri pii ad perfectiorem vitæ rationem suscipiendam commoti fuerunt. Quare quotidie ante prandium, ad praescriptum N. 73, ejusmodi lectio habebitur ex libro quem D. Praeses designaverit. Præterea quisque in particulari frequenter huic exercitio vacabit.

30. Unanimis est sanctorum Patrum sententia crebrum conscientiæ examen esse medium efficacissimum ad extirpanda vitia virtutesque acquirendas. Quapropter quotidie ante prandium fiet examen particulare, et sub precibus vespertinis unusquisque diligenter conscientiam examinabit.

31. Alumni cultu præcipuo se devoveant sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod realiter præsentem continet quem imitari tenentur, et a quo media eum imitandi obtinere possunt. Quare quotidie, uti dicitur N. 73, ante prandium fiet visitatio et adoratio sanctissimi Sacramenti. Quoties sacellum ingrediuntur, vel ab eo exeunt, omnes reverenter genu flectent. Tempore expositionis SS. Sacramenti peculiari modo incumbent venerationi tanto Mysterio debitæ. Omnes quoque adscripti sint Confraternitati Adorationis perpetuæ, et quotannis solemnem adorationis diem devote transigant.

32. Nihil est quod ad imitandum virtutes Domini nos-

tri J. C. magis excitet et juvet, quam frequens et attenta consideratio Passionis et Mortis ejus. Quapropter huic salutari exercitio Alumni sedulo animum applicent, præsertim tempore Quadragesimæ, qua durante conciones et meditationes circa Passionem Domini præcipue versabuntur.

33. Omnes sinceram devotionem foveant erga beatissimam Virginem MARIAM, quam ut matrem tenerrimam speciali cultu venerabuntur. In hunc finem omnes quotidie visitationem facient et venerationem imaginis illius ac recitabunt quinque decades SS. Rosarii, qui cultus etiam extra Seminarium, tempore feriarum maxime commendatur. Insuper mensis Majus, qui beatissimæ Virginis cultui speciatim sacer est, speciali modo celebrabitur, servatis iis, quæ nuper ea de re in *Communicandis* anni 1880 §. VIII a Nobis præscripta sunt.

34. Omnes insuper sese constituent sub speciali protectione S. FRANCISCI SALESII, cui Seminarium ejusque sacellum est dedicatum, ut ejus dirigentibus monitis et prælucente exemplo, in virtutibus sacerdotalibus exercerentur; S. CAROLI BORROMÆI, omnium Seminiorum Patroni et Patris, cuius salutiferis monitis conabuntur obtemperare; S. VINCENTII A PAULO, cuius zelum charitate plenum imitari studebunt; S. THOMÆ AQUINATIS, cuius doctrinas sectabuntur; et S. JOANNIS Evangelistæ, Diœcesis Buscoducensis Patroni, cuius castitatem virginalem sibi in exemplum proponent.

Festum S. FRANCISCI SALESII Patroni principalis Semi-

narii, quotannis solemnī modo celebribunt; ejusdem cæterorumque vitas iterato legent, ut virtutes et præclara gesta eorum cognoscant et imitari studeant.

35. Ad augendum conservandumque devotionis spiritum, qui humana infirmitate facile dissipatur, plurimum juvat quovis mense diem recollectionis agere; et quotannis exercitiis spiritualibus vacare.

Memorata recollectio habebitur sequentibus diebus:

1. ultima die Octobris, sive *pridie* festi omnium Sanctorum;

2. *pridie* Dom. 1 Adventus Domini;

3. *pridie* Nativitatis Domini;

4. *pridie* festi S. FRANCISCI SALESII;

5. ante Dom. 2 Quadragesimæ;

6. feria IV Hebdomadis Majoris;

7. ante 1 Dominicam post ferias Paschales, qui in mense Majo incidit, quæ est pariter festiva in Seminario, designata in honorem SS. Cordis B. M. V. juxta statuta confraternitatis;

8. *pridie* Pentecostes;

9. ante Dom. 5 post Pentecosten;

10. *pridie* festi Assumptionis B. M. V. vel Sabbato ultimo ante ferias majores, si forte ante festum istud incident.

Hisce diebus, juxta ordinem in App. N. 4<sup>o</sup> descriptum, habebitur mane instructio de extirpatione vitiorum et acquisitione virtutum; gemina quoque lectio spiritualis in communi instituetur, et tempus antemeridia-

num alias studio scientiarum destinatum piis lectionibus et exercitiis unice impendetur ; præterea tempore illo servabitur silentium continuum , omnis quoque conversatio cum extraneis aut alia ejusmodi distractio sedulo evitabitur.

Immediate post ferias majores habebuntur exercitia spiritualia per tres dies , quæ deinde circa festum Pentecostes resumentur , dum per ordinandos juxta votum Sac. Congr. et mandatum Synodi Diœc. Cap. XVI ad decem dies protrahuntur . (\*) Tandem a feria quarta Hebdomadæ Majoris usque ad finem Officii Sabbati Sancti erit devotionis tempus , quo meditationibus de Passione Salvatoris præsertim vacabitur , nec permittitur deambulatio extra Seminarium. Simili de causa et tempore Adorationis XL horarum hujusmodi deambulatio non fiat.

## CAPUT V.

### De Disciplina Seminarii.

36. Prima regula ipsumque fundamentum disciplinæ et recti ordinis est obedientia Statutis et Superioribus exhibenda , de qua N. 24 actum est.

37. Sicut necesse est ut inter Alumnos vigeat sincera charitas et mutua benevolentia , ut N. 19 dictum est , ita duplex vitium ipsis cavendum est , paci Seminarii æque ac Alumnis nocivum. Primum in eo consistit quod

(\*) Vide Appendicem , N. 2 et 3.

unus alteri nimia amicitia jungatur; exinde enim plura mala sequuntur, ut advertit S. CAROLUS BORROMÆUS dicens: *A privatis amicitiis nimiaque inter se familiaritate abstineant: conventicula ne agant, ex quibus multa damna in congregationibus existunt.* (Instit. Sem. part. 3. cap. 3.) Quare omnes inter se sine discriminè versentur, ut monet idem Sanctus. Alterum vitium eorum est qui aver-siones aut dissidia inter Alumnos excitant, quod non minus rigorose prohibetur.

38. Absit ut in Seminario unquam reperiantur, quos Conc. Trid. Sess. 23 cap. 18 de ref. vocat malorum morum seminatores. Quales sunt qui auctoritatem graviter pessumdat, qui turbulenti et irrequieti sunt, qui Seminarii famæ detrahunt, qui calumniantur socios aliasve personas Seminario addictas, qui factiosas subornant par-tes aut dissensionis ignem fovent, aut excitant.

39. *Cum silentium*, ut ait S. CAROLUS (Instit. Sem. part. 3. cap. 3.) *permultum ad pacis pietatisque conservationem, ad studia et ad multas perturbationes evitandas conferat*, Alumni istud præscriptis temporibus lubenter et accurate servabunt. Speciatim vero illud servent in Sacello et Sa-ristia ob reverentiam loco debitam; tempore studii, ne socii distrahabantur; tempore prælectionum pro majori è docentis è discentium commodo; tempore prandii et cœnæ, quando ad præscriptum N. 74 et 77 pia lectio institui-tur; omni denique tempore, quo silentium ex speciali motivo, puta sub exercitiis spiritualibus, etc. expresse

commendatur. Mane usque ad tempus jentaculi, similiter et vespere post rosarium, altum servetur silentium etiam in transitu de loco in locum. Severe etiam prohibetur tempore silentii et studii ingressus in alienum cubiculum.

40. Tempore recreationis ne sint lingua futili, sed de rebus utilibus inter se colloquuntur; modesto semper sermone utantur, seduloque abstineant ab omni clamore incondito aliave hujusmodi indecora procacitate. Videant insuper, ne unquam, præsertim in accessu ad Sacellum, cigaros eorumve fragmenta intra Seminarii aditus projiciant aut etiam deponant. Idcirco et fumigatio tantum permittitur in cubiculis, locutoriis, aulis recreationis, sylva et area.

41. Usus vini aliorumque liquorum spirituosorum Alumnis omnino interdicitur. Sedulo etiam caveant a sigaris sumptuosis et aliis ejusmodi expensis supervacaneis; curent pari modo, ne ullius cibi aut potus sumptione tempus studendi teratur aut quovis modo impediatur. Longe præterea absit, ut quis, sive privatim sive cum sociis, tempore etiam libero, immoderatae victus rationi quoquo modo indulget; profecto *Vos non ita didicistis Christum.* (ad Eph. IV. 20.) Si forte quis ob infirmam valetudinem extraordinaria refectione quandoque egeat, ea de Superiorum licentia sumatur loco ad hoc destinato aut speciatim designato.

42. Ingressus culinæ aliorumque locorum, quæ Alumnorum usui non sunt addicta, omnibus plane interdicitur.

43. In cubiculis omnia sint munda et ordine disposita. Nemo quidquam e fenestris projiciat. Extraneos, præsertim laicos, quibuscum in locis ad hoc destinatis loqui licet, nemo in cubiculum admittat sine licentia.

44. Sartores, sutores, barbitonsores et alios ejusmodi Seminarii opifices seu operarios admittere non licet, nisi tempore et loco ad hoc designato. Absit pariter, ut quis unquam in conversatione cum hujusmodi personis aliquid dicat aut faciat, quod decoro seu honestati clericali hand congruit.

45. Nemini licet extra tempora statuta e Seminario exire sine licentia. Nullus præsumat, etiam tempore deambulationis, aliquam domum ingredi sine venia expressa. Nullus quoque Alumnus e Seminario exeat, nisi ad præscriptum Syn. Diœc. Cap. XXIX pileo triangulari rite indutus sit. Tempore deambulationis extra Seminarium, pro majori decentia, abstinendum etiam est ab omni fumigatione. Licentia extra Seminarium prandendi aut pernoctandi non nisi ob rationabilem causam concedetur.

## CAPUT VI.

### De Acquisitione Scientiarum.

46. Præter perfectam vitæ rationem, alterum quoque finem sibi proponere debent Alumni Seminarii, acquisitionem nempe scientiarum, sine quibus utiles Ecclesiæ

ministri esse non possunt. *Seminarium enim non ea de causa est institutum, ut in eo simpliciter sacerdotes educantur, sibi tantum utiles futuri*, ut ait S. CAROLUS BORROMÆUS; sed profecto ut virtute et scientia exornati gaudenter in vinea Domini laborare valeant, et aliquando duplarem illam palmam obtineant, de qua Salvator dixit: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

47. Ita vero scientiis incumbendum est ut pietas minime negligatur; pietas enim est optima scientiarum magistra et nutrix, et sine ea scientiæ facile nocent, nam, ut S. PAULUS ait, *Scientia inflat, charitas vero ædificat.*

48. Curent Alumni ut a studio scientiarum omnem removeant sinistram intentionem: *Sunt namque*, ut ait S. BERNARDUS, *qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est; et sunt qui scire volunt ut scientiam suam vendant, verbi gratia pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut ædificant, et charitas est; et qui scire volunt ut ædificantur, et prudentia est.* Itaque ædificationem propriam et alienam, ipsamque adeo Dei gloriam pro fine studiorum sibi proponant. Ita fiet ut studia sint simul exercitia pietatis et religionis.

49. Meminerint ad solidum in scientiis progressum necesse esse, ut studiis oratio conjungatur: *Justus, ut ait Sapiens, cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi depre-*

*cabitur . . . Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum . . . et ipse tamquam imbræ mittet eloquia sapientiae suæ* (Eccli. XXXIX). Et alibi: *Optavi, et datus est mihi sensus: et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae* (Sap. VII). Legitur quidem, S. THOMAM AQUINATEM magis profecisse orando ad pedes crucifixi, quam libros volvendo; quinimo ipsum in difficultatibus locorum Scripturæ Sacræ ad orationem etiam adhibuisse jejunium. Merito etiam observat THOMAS A KEMPIS, quod *nobilior est illa doctrina quæ desursum ex divina influentia manat, quam quæ laboriose humano acquiritur ingenio* (De imit. CHRISTI lib. 3. cap. 31). Igitur Alumni sæpe, et maxime initio studiorum, lectionum et aliarum hujusmodi exercitionem, lumen S. Spiritus devote implorent.

50. Diaria politica ne legant, nisi illa pro quibus expressa a Nobis venia concessa fuerit. Sedulo etiam abstineant a quavis vana ac futili lectione romanensium aliorumque hujusmodi scriptorum, quæ gustum corrumunt mentemque ad seria studia ineptam reddunt. Libros, qui judicio Superiorum pro scientiis sacris et lectionibus piis necessarii aut utiles sunt, dumtaxat apud se retineant. Moderatores Seminarii, speciatim ipsemet Director, huic rei serio invigilabunt et, ne secus fiat unquam, attente providebunt. Advertant insuper Alumni paucis, iisque præstantioribus libris immorandum esse; divagatio enim per plures parum docet et confusionem parit. Cæterum, quod rei istius respectu in Concilio Prov. Tit. IX cap II.

edicitur, hic pro inserto habeatur, et ab omnibus, quorum interest, sollicite servetur.

51. Alumni lubenti animo subeant quidquid pro eorum progressu in scientiis impositum fuerit, ut sunt examina, repetitiones, collationes, colloquia cum socio, et alia id genus plura.

### CAPUT VII.

#### De scientiis quibus Alumni Seminarii incumbere debent.

52. Imprimis Alumni interdum repetant ea quae in cursu Philosophiae audierunt, præsertim principia Theodiceæ et Philosophiae Moralis; haec enim scientiæ clericis pernecessariæ sunt ad refutandum incredulos, qui argumentis ex falsa philosophia desumptis Religionem præcipue impugnant. Pariter statis diebus et horis, puta vespero ab hora 8— $8\frac{3}{4}$ , in cognitione linguarum proficere contentur, neque excolare negligant studium linguæ vernaculae qua pleræque functiones sacrae exercendæ sunt.

53. Omnibus cursus theologici partibus, tum speculativis tum practicis, pari cum diligentia incumbant; omnes enim necessariæ sunt ut quis in perfectum theologicum evadat.

54. Scripturæ Sacrae studium præ cæteris omnibus diligant; adeo enim ejus notitia sacerdoti convenit, ut *Biblia Sacra liber sacerdotalis* a S. AMBROSIO nuncupentur. Firmum igitur atque statutum sit apud omnes nullum

prætermittere diem, quo in lectione Sacræ Scripturæ aliquem passum non faciant. Hunc in finem studium matutinum in hujusmodi lectione regulariter impendatur. Porro quod ad partes legendas attinet, iis præsertim incumbere juvat quæ in lectione jam expositæ seu declaratæ sunt. Poterit etiam, si per tempus liceat, in antecessum utilissime legi ac relegi Novum Testamentum, ut illius textus, quoad fieri possit, memoriter cognoscatur. Recte monet MABILLONIUS in libro *De studiis monasticis*, ut prima Scripturæ Sacræ lectio simpliciter fiat; dein vero brevis aliquis commentarius adhibeat, qui litteram succincte ac dilucide explicet, quales sunt MENOCHIUS, TIRINUS, etc.

55. *Theologiæ dogmaticæ* notitia sacerdoti valde necessaria est ut fidei dogmata contra adversarios defendere, et fidelibus clare ac dilucide in concionibus et catechesibus proponere valeat. Diligenter itaque illius studio incumbant Alumni.

56. Cum ad curam animarum officiumque confessarii Alumni destinati sint, quod sine *Theologiæ moralis* notitia debite adimpleri nequit, sequitur huic scientiæ cum speciali zelo ipsis operam dandam esse.

57. *Juris canonici* studium pariter necessarium reputent; in eo enim agitur de vita et honestate clericorum, de auctoritate Summi Pontificis, Episcoporum, aliarumque ecclesiasticarum personarum, de regularibus, de ecclesiarum fabricis, sepulturis, juribus funeralibus, oblationibus, pœnis ecclesiasticis, etc. quæ omnia ignorare

clericum dedecet. Pari de causa et studium *Juris particularis nostri*,\* prout in Decretis et Statutis Provincialibus ac Diœcesanis continetur, omnibus summopere commendatur.

58. *Historiæ ecclesiastice* studium æque cordi habeant Alumni; quod enim CICERO de historia universim dixit, id vel maxime proprium est historiæ ecclesiastice, scilicet esse eam testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistrum ritæ, nunciam vetustatis. De orat. lib. 11. cap. 9. Nec immerito S. CAROLUS BORROMÆUS eam collocat inter scientias quæ clericalis ordinis hominibus maxime accommodatae sunt ad optimam religiosæ disciplinæ rationem. Conc. provinc. Mediol. V. part. 3. Cap. 1.

59. *Eloquentia sacra* apud omnes maximi momenti esse debet; certum enim indubitatumque est ecclesiastici munieris caput præcipuum esse propagationem doctrinæ CHRISTI, eoque potissimum sacerdotis zelum referri debere. Ideo namque CHRISTUS discipulos præcipue elegit, teste S. MARCO, *ut mitteret eos prædicare*. Quin et Apostoli ista obligatione tam stricte se teneri existimabant, ut eam cæteris omnibus anteferrent. *Non est æquum*, inquiunt, *nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis*. Et S. PAULUS ait: *Non misit me CHRISTUS baptizare, sed evangelizare*. Unde et prædicationem magnopere commendat discipulo suo TIMOTHEO: *Prædica verbum, insta opportune, importune*. Alumni igitur omnem operam adhibeant ut se aptissimos reddant ad catechizandum et prædicandum; quin-

imo ita se exerceant, *ut diuturna consuetudine roborati*, ait S. CAROLUS BORROMÆUS Institut. Sem. part. 1. cap. 3. *possint postea diebus festis sermones habere, etiamsi propter occupationes parochiæ non ita sedulam per eos dies studiis operam navare potuissent; quod facile et fructuose prætabunt, si catechismum diœcesanum memoria teneant, ejusque commentatores serio perscrutati fuerint.*

60. Qui *liturgiam sacram ignorat*, evidenter se exposuit divinæ maledictioni, quam minatur Propheta JEREMIAS XLVIII. 10. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Illius igitur studio gnaviter incumbant Alumni.

61. *Cantus ecclesiastici* scientia adeo clericis necessaria est, ut Concilium Tridentinum eam Seminarii Alumni doceri nominatim præceperit. Quamobrem juxta votum Concilii Prov. Tit. V cap. VI principia cantus Gregoriani diligenter addiscant, notas rite canere variosque modos cognoscere studeant; sciant etiam accurate quomodo orationes, lectiones, cæteraque in liturgiis occurrentia intonare seu decantare oporteat.

## CAPUT VIII.

### De functionibus sacris aliisque exercitationibus.

62. Exercitium functionum ecclesiasticarum medium præbet efficacissimum quo Alumni in pietate et scientiis sacrис proficiant; ecclesiastica enim munia, si debito modo et congrua devotione obeuntur, nata sunt cor hominis

ad Deum elevare, illudque filiali amore et summa erga divinam Majestatem reverentia replere. Accedit quod ea exercendo Alumni tempestive incipient in vinea Domini laborare, et sese idoneos Ecclesiæ ministros exhibere. In his itaque muniis diligenter se exerceant.

63. Primo loco recensenda est prædicatio verbi Dei, qua juniores clerici mire juvantur ut tam in pietate quam in scientiis proficiant, cum veritates quas prædicant altius menti et cordi infigere cogantur. Sic et addiscunt præcipuum status sui munus rite adimplere. Igitur crebræ fient ab Alumnis conciones, instructiones et catecheses sub directione Professoris cui hoc munus concretum est.

64. Maximopere interest ut Alumni discant cæremonias sacras rite decenterque obire et rubricas accurate observare; tanto magis quod zelus et aptitudo in hac re magnum præbeant divinæ vocationis argumentum. In his igitur sedulo versentur sub directione Directoris itemque senioris Alumni a D. Præside eligendi, qui *cæremoniarum magister* seu custos vocabitur. Instante majori solemnitate, ipsemet Director eos prævie per turnum exercebit, singulorumque officia designabit.

65. In cantu Gregoriano, quo sacris mysteriis solemniter celebrandis et divinis laudibus convenienter decantandis nihil est accommodatius, cum zelo et constantia se exerceant, præsertim qui aurem duriorem habent, ut saltem sine fidelium offensione ordinaria cantare discant.

66. Juxta monitum S. CAROLI BORROMEI in Instit. Sem. part. 1. cap. 2., ii *qui brevi animarum curæ sunt præficiendi, modum discant administrandi Sacra menta et exercendi alia munera quæ animarum curatori sunt obeunda.*

67. Præter examina ante susceptionem ordinum coram Nobis instituenda, quotannis triplex habebitur examen in scriptis, primum mense Januarii, secundum ante ferias minores, tertium ante ferias majores: examinum accurata ratio per notas Nobis reddetur, ut Alumnorum capacitas et progressus innotescant. Ea occasione ratio morum, ultimo trimestri, una simul Nobis exhibebitur.

## CAPUT IX.

### De Distributione Diei.

68. Mane surgitur quadrante ante horam quintam. Ad signum excitatoris omnes alaci corde dicent: *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo, vel, paratum cor meum Deus, paratum cor meum, exsurgam diluculo.* Inter induendum recitatunt Ps. *Miserere et cor suum preparabunt ad orationem.*

69. Preces matutinæ hora quinta in sacello inchoabuntur. Ad eas tempestive se conferent Alumni, animo pervolventes se vocari ut diei primordia Deo consecrent, ejusque benedictionem in omnes actiones diei implorent. Precibus et meditatione peractis, celebrabitur Missa, cui omnes, exceptis iis qui aliâ horâ Missæ inservire tenen-

tur, summa animi recollectione assistent, utpote quo nihil augustius habet Ecclesia Dei.

70. Post missam quisque ad cubiculum revertitur, illoque ordinato incipit studium a lectione Scripturae Sacrae.

71. Quadrante ante octavam sumitur jentaculum, sub quo permittitur modesta conversatio; dein recreatio usque ad medium nonæ.

72. Medio nonæ studium aut lectio alternatim habebitur usque ad  $11\frac{1}{2}$ , dein recreatio usque ad quadrantem ante duodecimam.

73. Quadrante ante duodecimam omnes ad sacellum se conferunt ad adorandum SS. Sacramentum, deinde fit examen particulare, lectio spiritualis, et recitatur *Angelus Domini*.

74. Initio prandii clara et distincta voce fit lectio e Scriptura Sacra, ut dum corpus edendo reficitur, sua etiam animæ spiritualis refectione præbeatur. Illam omnes digne et attente auscultabunt. In fine prandii legitur ex vitis Sanctorum.

75. Post prandium recreatio usque ad horam secundam. Porro sub recreationibus, quæ diebus ordinariis conceduntur, abstinentia a studio maxime consultitur; cum enim in juvenili ætate applicatio prolixior insensibiliter enervet organa et intellectum infirmet, atque ipsam corporis sanitatem debilitet, requie interdum opus est. Tempus recreationis, quantum fieri potest, transigant in area aut sylva (caveant tamen ne limites assignatos transgrediant-

tur perfringendo sepes , transiliendo fossas etc.), vel in aula recreationis ac ludis aut ambulatione occupentur , quæ dum animum exhilarant , corporis etiam exercitationi inserviunt. Curent etiam ut dum cubiculis exeunt , hæc apertâ fenestrâ aut portâ — pro variâ np. tempestatis conditione — aëri pateant.

Ad evitanda alia incommoda nusquam eas simul apertas relinquant. Tempore studii porta semper clausa sit oportet.

76. Ab hora secunda alterne studium aut lectio usque ad horam quartam. Hora quarta potus et recreatio usque ad horam quintam. Hora quinta studium usque ad medium septimæ.

Diebus ordinariis lectiones dabuntur mane ab hora 9 — et rursum a  $10\frac{3}{4}$ . — Post meridiem vero ab hora  $2\frac{1}{2}$ .

In Ordine publice appenso assignabitur materia lectiōnum , ad quas omnes , ad signum campanæ , absque morâ , sine inutili retardatione aut collocutione , se conferent cum libris classicis nec non attramento , calamo et charta , notis describendis destinata. Post lectiones , quibus studium immediate subsequitur , omnes in cubicula se mox recipient , audita recolligant , notas conscriptas revisant ac perficiant et studio incumbant ; post cæteras vero lectiones ea ipsa fiant ante aliam lectionem de eadem materia habendam.

77. Medio septimæ exercitatio concionatoria vel catechetica , excepto die Sabbato , quo dicuntur Litaniæ Lauretanæ in cantu , in honorem SS. Cordis B. M. V. Se-

quuntur preces vespertinæ, examen conscientiæ, et dicitur *Angelus Domini*. Deinde hora septima cœna, sub qua ab initio fit lectio ex Scriptura Sacra, et in fine legitur Martyrologium sequentis diei. Post cœnam recreatio usque ad octavam. Hora octava studium usque ad quadrantem ante nonam; exceptis diebus Dominicis et festivis, quibus protrahi potest recreatio. Diebus istis (dominicis et festivis) non admittuntur extranei ad visitandos Alumnos. Quodsi forte alio fine seu motivo quis accedat, brevis collatio probata de causa a Superioribus concedi poterit.

78. Quadrante ante nonam Rosarium et præparatio meditationis sequentis diei. Hora nona omnes in silentio ad cubicula se conferant, et medio decimæ luminaria extineta sint. Studium post nonam prohibetur.

Dum lecto decumbunt, pie invocent SS. Nomina JESU et MARIAE, et spiritum suum in manus Domini commendant, non secus ac si morituri essent.

79. Feria tertia et quinta singulæ hebdomadæ et feria secunda primæ hebdomadæ cujusque mensis post meridiem vacabitur a lectionibus, et Alumnis deambulatio permittitur extra Seminarii ambitum, non tamen sine speciali licentia extra limites parochiæ de Haaren et Helvoirt. Diebus istis ab hora tertia usque ad quintam permittitur, quin etiam, ad evitandam singularitatis notam, consulitur recreatio modesta in aulis ad hoc destinatis, et non alibi sine expressa venia. Post recreationem studium et cætera more solito.

Eadem obtinent in festo S. THOMÆ AQUINATIS, item Patroni Ill. Ordinarii Diœcesis, RR. DD. Præsidis, Directoris et Professorum, quibus diebus insuper ante meridiem a lectionibus vacabitur et post Missam solemnem permititur deambulatio ut supra, usque ad quadrantem ante duodecimam. Summopere tamen consultum est, ne hisce diebus, *groote campus* vulgo dictis, omne tempus liberum deambulationi insumatur, sed una alterave hora studio rerum utilium impendatur.

Præter has ordinarias vacationes R. D. Præses per se aut per alium extraordinarias post meridiem concedere potest, dum justa ratio adfuerit.

Diebus Dominicis et festis Missa solemnis hora nona celebrabitur, et finita Missa deambulatio, ut supra, conceditur usque ad quadrantem ante duodecimam. Medio tertiae Vesperæ; post Vespertas recreatio ut supra; non tamen deambulatio fiat extra Seminarii ambitum.

80. Feriæ minores incipiunt Sabbato sancto, finita Missa, et protrahuntur usque ad feriam tertiam post Dominicam tertiam post Pascha; — majores mense Augusti, die a Nobis singulo anno determinanda, et finiuntur post quinque hebdomadas a die subsecente computandas. Optandum foret, ut quod Romæ et in aliis Italæ diœcesisibus in usu est, hic quoque observari posset, ut scilicet Alumni in ipso Seminario aut in villa suburbana feriarum tempus transigerent, ad instar SAMUELIS qui templi servitio semel addictus ad parentes non redibat,

et annua matris visitatione contentus jugiter Domino ministrabat; sed cum usus patriæ aliæque rationes id fieri vetent, equidem curent Alumni ut feriarum tempus sine pietatis et scientiæ jactura transigant, adeoque præcipua pietatis exercitia non omittant, et, quantum fieri potest, quotidie vacent studio aut lectioni, præsertim Scripturæ Sacrae. — Meminerint Alumni bono exemplo ædificare fideles summeque caveant, ne quid minus recti tempore feriarum in iis deprehendatur, quod Parochi vel inviti, ex præscripto Concilii Prov. Tit. IV cap. XI et Synodi Diœc. cap. II, Nobis aut Præsidi Seminarii referre deberent.

81. Finitis feriis ad Seminarium statuto tempore redenant; si quis legitimo impedimento diutius domi detineatur, de eo D. Præsidem certiorem reddere non differat.

## CAPUT X.

### De Regulis honestatis in Seminario observandis.

82. Cum Seminaria diœcesana instituta sint ad efformandum perfectos sacerdotes, ab Alumnorum vivendi ratione removendum est quidquid vitiosum, inurbanum, ridiculum aut reprehensione dignum videri potest. Igitur præter ea quæ ad pietatem et scientias acquirendas conducunt, indicandæ sunt leges decori, quibus ita honeste et decenter conversari discant, ut nemo quidquam in ipsis jure reprehendere possit.

83. Has leges Alumni in Seminario præcipue obser-

vent, tum ut stabili amicitia et perfecta concordia inter se vivant, tum ut assuefiant honestæ vitæ rationi decentique conversationi, qua postea facilius animas CHRISTO lucrifaciant; recte enim monet S. AMBROSIUS, bonæ conversationis præcepta tempestive observanda esse, ut cum annis obfirmentur: *Ab adolescentia, inquit, spectanda sunt, ut cum ætate accrescant simul.* De Offic. lib. 1. Cap. 17.

84. Genuina pietas non solum non respuit urbanitatem, sed eam in sacerdote omnino requirit; cum enim homines de externis tantum judicare soleant, urbanitatis defectus in status sacerdotalis detrimentum vergit. Accedit quod inimici Religionis maxime nitantur sacerdotes contemptibles reddere, nihilque aptius sit ad eorum conamina frustranda, conciliandamque Clero reverentiam et æstimationem quam modus agendi honestus et affabilis, ut videre licuit in S. FRANCISCO SALESIO aliisque Sanctis, qui suavi agendi ratione aliorum salutem efficacius procurarunt. Unde in pluribus Conciliis sollicite commendatum fuit, ut sacerdotes exteriorem corporis habitum rite componant.

85. Clericum urbanum esse oportet ex motivo amoris Dei et proximi: et quidem si sincera erga Deum et proximum charitate ferveat, quasi sponte honestus et affabilis efficietur.

86. Qui, cum solus est, negligenter se habere solet, habitus contrahit minus convenientes, a quibus in socie-

tate aliorum difficulter abstinet; Alumni igitur consuecant honeste et decenter agere etiam cum soli sunt.

87. Juxta monitum Concilii Tridentini Sess. XXII Cap. I de ref., clericorum actus et sermones *nihil nisi grave, moderatum et religione plenum* præ se ferre debent. Igitur Alumni 1<sup>o</sup>. diligenter abstineant a nimio studio et affectatione in verbis et in actibus; 2<sup>o</sup>. caveant ne salutationes cæterosque urbanitatis actus faciant cum ea elegantia aut levitate quibus homines mundani, præsertim juniores, utuntur; 3<sup>o</sup>. ut intra justos limites sese contineant, sedulo attendant ad circumstantias locorum et personarum: quæ enim in uno loco decent, in altero dedecent; in loco publico, maxime si habeatur hominum concursus, major servanda est circumspectio quam domi; in propria domo quædam licent quæ in aliena offendunt; apud eos qui magnam profitentur urbanitatem majori cautela opus est; coram magnatibus ad minima attendendum.

88. Præter ista generalia præcepta Alumni constanter observare nitantur sequentes regulas speciales, juxta unanimem sapientum sententiam in sermone, in motibus corporis, in mensa et in vestibus servandas.

### Regulæ honestatis in sermone servandæ.

89. *Prima.* Tonus vocis sit moderatus, nec altior nec demissior, nec exquisitior nec agrestis; *Ne quid indecorum sermo resonet tuus*, inquit S. AMBROSIUS lib. 1. de Offic.

Cap. 18, *ipsum tonum vocis libret modestia; ne cuiusquam offendat aurem vox fortior; ut molliculum vocis sonum non probo, ita nec agrestem nec rusticum.*

90. *Secunda.* Cave ne loquaris de rebus quæ circumstantiis loci aut personarum non convenient, ut si de abstrusis theologiæ quæstionibus coram laicis dissereres.

91. *Tertia.* Ne proferas quod adstantibus verecundiam excitet aut erubescientiam pariat.

92. *Quarta.* Numquam alterum ludibrio habeas; si vero jocari libeat, cum prudentia fiat et attendatur ad loci et temporis circumstantias ipsamque personarum conditionem et dispositionem; ne cum delectari intendis, fratrem offendas.

93. *Quinta.* Loquente alio nusquam loquaris, aut verba loquentium quovis modo interrumpere præsumas (S. BONAV. Specil. part. 1 Cap. 20).

94. *Sexta.* Clericus ne alterius personam agat, seu dicta vel facta ejus gesticulatione imitetur.

95. *Septima.* Sedulo cura ut tam in loquendo quam in scribendo unumquemque usitatis formulæ honoris pro dignitate compelles.

96. *Octava.* Temet ipsum laudare, propria facta, merita animive facultates extollere dedecet. Quinimo de te ipso ne loquaris, nisi necessitas requirat, tuncque modeste et discrete fiat, nec plus quam necesse fuerit.

97. *Nona.* Risus sine strepitu fiat; quod speciatim monet Sapiens: *Fatuus in risu exaltat vocem suam; vir*

*autem sapiens vix tacite ridebit.* (Eccli. XXI. 23).

98. *Decima.* Si quis te præsentem laudet, cave ab affectata humilitate simul et a nimia complacentia: sed laudes declina, aut si necessitas postulet, modeste assentire.

99. *Undecima.* Ne sis ad loquendum præceps, sed verba prius mente pondera quam lingua proferas. *Ante veniant ad limam quam ad linguam.* S. AUGUSTINUS.

100. *Duodecima.* Ingenuæ societatis conditiones offendit qui alteri in aures susurrat aut secreto loquitur.

### *Regulæ honestatis in motibus corporis servandæ.*

101. Recte monet S. AMBROSIUS de Off. cap. 18. N. 17: *Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut contra gravior et constantior et purior et maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus.* Quod confirmant hæc verba Scripturæ Sacrae: *Sapientia hominis lucet in vultu* (Eccl. VIII. 1) *et ab occurso faciei cognoscitur sensatus* (Eccli. XIX. 26).

102. Alumni igitur generatim studeant ita omnes situs ac motus corporis dirigere, ut proximum ædificant; deinde attendant ad sequentes regulas:

103. *Prima.* Caput hue illuc leviter ne moveatur, sed cum gravitate quando necessitas postulat; neque nimis

rectum teneatur, sed in anteriorem partem leviter inflectatur, minime vero in alterutrum latus.

104. *Secunda.* Oculi demissi ut plurimum teneantur, nec immoderate eleventur, nec quovis divagare sinantur.

105. *Tertia.* Inter colloquendum, præsertim cum hominibus in dignitate constitutis, numquam defigantur oculi in eorum faciem, sed infra vultum. *Vide*, inquit S. BO-NAVENTURA, *sine defixione oculorum*.

106. *Quarta.* Facies non tristitiam aut alium affectum immoderatum præ se ferat, sed in ea constans eluceat serenitas, animi sereni indicium.

107. *Quinta.* Incessus ne sit levis aut nimis festinus, ut cursus speciem habeat; nec nimis tardus ut passus numerari videantur; sed moderatus et gravis. Ubi necessitas est currendi, decori ratio habeatur. *Est gressus probabilis*, inquit S. AMBROSIUS de Offic. cap. 18, *in quo sit species auctoritatis gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen ut studium desit atque affectatio; sed motus sit purus ac simplex; nihil enim fucatum placet.*

### Regulæ honestatis in mensa servandæ.

108. *Prima.* Alumni Seminarii mensæ accumbentes accurate observent regulas honestatis moribus patriæ receptas, quæ ab honestæ conditionis hominibus servari solent et a probatis auctoribus traduntur.

109. *Secunda.* Submissis oculis et attente recitent preces ante et post mensam recitari solitas.

110. *Tertia.* Ut intra temperantiae et sobrietatis limites semper se contineant, meminerint 1<sup>o</sup> omnibus CHRISTI discipulis, præcipue vero clericis, gulam continuo refrænandam, sensusque mortificandos esse. 2<sup>o</sup> Sanitatem non tam ciborum copia quam temperantia comparari. 3<sup>o</sup> Sobrietatem naturaliter conferre ad scientiam, cum reddat caput liberum et serenum, aptumque ad meditationem; unde SALOMON aiebat: *Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam.* Eccle. II. 3.

111. *Quarta.* In eundem finem sœpe recognitent hæc Scripturæ Sacræ monita:

*Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam.* Eccli. XXXVII. 32.

*In multis enim escis erit infirmitas, et aviditas approximabit usque ad cholera.* Ibid. 33.

*Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinenſ est, adjicet vitam.* Ibid. 34.

*Sanitas est animæ et corpori sobrius potus.* Eccli XXXI. 37.

Advertant etiam sobrietatem a SS. Patribus summopere commendari, et quidem a S. AUGUSTINO vocari *virtutis singulare auxilium, studiorum et artium bonarum discipulam pariter et magistram, membrorum omnium corporis que tutelam.* De Sobriet. cap. 1. 3\*

112. *Quinta.* Sedulo evitent omnes gulæ species hoc noto versu expressas:

*Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose:* quæ non temperantiae tantum, sed et honestati atque modestiæ adversantur.

**Regulæ honestatis in vestibus servandæ.**

113. Vestimentorum decentiam curandam esse demonstrant hæc verba Scripturæ Sacræ: *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* Eccli. XIX. 27. Igitur Seminaristæ observent sequentes regulas:

114. *Prima.* Vester, quæ conformes esse debent habitui ecclesiastico in Diœcesi præscripto, semper mundæ sint et bene compositæ, ut ingenuum hominem decet; attamen *omnis absit vanitas et nimium earum studium,* quod monet Synodus Provincialis Mechliniensis anni 1570 tit. 14. cap. 2.

Diebus dominicis et festivis, usque ad Vesperas inclusive, omnes togam talarem gerant cum cingulo. — Tempore hiemis super toga indui poterunt veste densiore nigri coloris. — Toga talari cum cingulo induantur quoque, dum aliis diebus ad S. Synaxin accedunt, vel etiam adoratio SS. Sacramenti, concio, catechesis, et alia hujusmodi plura, ab ipsis vice sua publice peragenda sunt. A fortiori Sacerdotes, Missæ sacrificium offerentes, sic induiti sint oportet.

115. *Secunda.* Dedeceat crines crispare, componere et ornate discriminare, eosve nimis neglectos habere; itaque Alumni *capillis simplicem cultum adhibeant*, quod vult Concilium Mediolanense I.

116. *Tertia.* Odoribus aliisve exquisitis rebus neutantur; clericus enim ejusmodi rugis addictus ridiculum se facit.

117. Porro sedulo notandum est minime sufficere ut has cæterasque tradi solitas honestatis regulas memoriae infigant Alumni, sed etiam ad Deum recurrendum essent, ejus gratia adjuvante, linguæ, oculorum et totius corporis motus debite componere possint, atque in eis eluceat modesta urbanitas qua Deus honoretur et proximus ædificetur.

## CAPUT XI.

### De Examine vocationis et Ordinum susceptione.

118. Serio recogitent Alumni Dei vocationem prorsus necessariam esse ut statum ecclesiasticum amplecti liceat, nihilque infelicius homini contingere posse, qnam citra Dei voluntatem sacerdotio initiari; unde S. AUGUSTINUS ait: *Quicumque se in Episcopatus aut Presbyteratus, aut Diaconatus officium impudenter conantur ingerere, quomodo combusti sunt CORE, DATHAN et ABIRON in corpore, ita isti comburentur in corde.* Et S. EPHREM: *Qui temere se conantur ingerere ad munus sacerdotii, licet non adsciti a*

*gratia CHRISTI, ignem et mortem sibi accumulant.* Quinimo merito dicit Catechismus Concilii Tridentini: *quo quidem hominum genere nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiæ Dei calamitosius esse potest.* Eo quoque sensu BENED. XIV in Encycl. *Ubi primum* § 1 verissime scribit: „Melius profecto est pauciores habere Ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles, quam plures, qui in ædificationem Corporis CHRISTI, quod est Ecclesia, nequicquam sint valituri.”

119. Qui, facto debito examine, existimant se ad statum ecclesiasticum vere a Deo vocatos esse, curent 1º ut omnem sinistram intentionem ab animo removeant. Absit enim ut illos imitentur quos carpit laudatus Catechismus, qui nempe *eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quæ ad victimum vestitumque necessaria sunt, parent: ita ut præter quæstum nihil in sacerdotio, quemadmodum vulgo cæteri omnes in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur.* Quamvis enim ex Apostoli sententia, *natura et divina lex jubeat, ut qui altari servit, ex altari vivat; tamen quæstus et lucri causa ad altare accedere, maximum sacrilegium est.* Absit quoque ut honorum cupiditate aut ambitione ad sacerdotalem ordinem ducantur; maximeque caveant ne vitam commodam aut divitias sibi proponant. *Hi vero sunt, ut idem Catechismus ait, quos Salvator noster mercenarios appellat et quos Ezechiel dicebat, semetipos et non oves pascere, quorum turpitudo et improbitas, non solum sacerdotali ordini magnas tenebras effudit,*

*ita ut jam nihil fere a fideli populo haberi possit contemptius et abjectius; verum etiam efficit ut ipsi nihil amplius ex sacerdotio consequantur, quam JUDAS ex apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit.*

Curent 2<sup>o</sup>. ut recta puraque intentione tam sublimem statum amplectantur, scilicet ut in officio qualicumque sibi a Superioribus committendo Dei gloriam et salutem animarum procurent et seipsos salvent. *Non enim*, ait Conc. Mediolanense IV. part. 3. de honestate clericorum, *ad inertiam atque ignaviam, sed ad spiritualis et ecclesiasticae militiae labores clerici vocati sunt.*

120. Instante ordinatione quisque cum speciali diligentia se præparet ad Ordinem quem suscepturus est, qui quo major fuerit, eo majorem etiam præparationem et sanctitatem postulat. In hunc finem exercitia spiritualia Ordinum susceptioni præmittenda cum zelo et pietate obire satagat.

121. Post ordinationem quisque juxta mentem Ecclesiæ diligenter consideret Ordinem a se susceptum ac onus humeris suis impositum; ideoque sæpe recogitet monita sibi a Pontifice data, quorum hæc præcipua sunt:

Ad Tonsuratos: *Filii dilectissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiæ facti estis et privilegia clericalia sortiti estis; cavete igitur ne propter culpas vestras illa perdatis; et habitu honesto bonisque moribus atque operibus Deo placere studeatis.*

Ad Ostiarios: ... *Studete etiam, ut, sicut materialibus*

*clavibus ecclesiam visibilem aperitis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo et aperiatis Deo; ut divina verba quæ audierint, corde retineant et opere compleant, quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.*

Ad Lectores: .... *Studete igitur verba Dei, videlicet lectiones sacras, distincte et aperte, ad intelligentiam et ædificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitim, corde credatis atque opere compleatis; quatenus auditores vestros verbo pariter et exemplo vestro docere possitis.*

Ad Exorcistas: .... *Studete igitur, ut sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare; ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare.*

Ad Acolythos: .... *Estote igitur solliciti, in omni justitia, bonitate et veritate, ut et vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium, per castam vitam et bona opera, oblati fueritis.*

122. Ad Subdiaconos: .... *Estote ergo tales qui Sacrificiis divinis et Ecclesiæ Dei, hoc est, corpori CHRISTI digne servire valeatis, in vera et catholica fide fundati; quoniam, ut ait Apostolus, omne quod non est ex fide, pec-*

*catum est , schismaticum est , et extra unitatem Ecclesiae est .  
Et ideo si usque nunc fuitis tardi ad ecclesiam , amodo debetis esse assidui . Si usque nunc somnolenti , amodo vigiles , etc.*

Subdiaconi omnibus viribus connitantur ut horas canonicas distinete , attente et devote recitandi habitum acquirant , quo thesaurum meritorum sibi congerere possint . Si nihil obstet , Subdiaconos et Diaconos in Sacello coram Sanctissimo Sacramento hoc munus adimplere convenit , v. g. Primam cæterasque parvas horas recitent sub Missa quotidiana , Vespertas (salva tamen Rubrica pro tempore quadragesimali) et Completorium post prandium , Matutinum et Laudes sub recreatione pomeridiana . — Sub exercitationibus , de quibus N. 77 , in Sacello recitatio Breviarii prohibetur .

123. Ad Diaconos : .... *Estote nitidi , mundi , puri , casti , sicut decet ministros CHRISTI et dispensatores mysteriorum Dei ; ut digne addamini ad numerum ecclesiastici gradus , ut hæreditas et tribus amabilis Domini esse mereamini . Et quia coministri et cooperatores estis Corporis et Sanguinis Domini , estote ab omni illecebra carnis alieni , sicut ait Scriptura : Mundamini qui fertis vasa Domini . Cogitate beatum STEPHANUM merito præcipue castitatis ab Apostolis ad officium istud electum . Curate ut quibus Evangelium ore annuntiatis , vivis operibus exponatis , ut de vobis dicatur : Beati pedes evangelizantium pacem , evangelizantium bona . Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis in præparatione Evangelii pacis .*

124. Ad Presbyteros : .... *Itaque filii dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris, castæ et sanctæ vitae integritatem. Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitae vestræ delectamentum Ecclesiæ CHRISTI; ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est, familiam Dei, quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur.*

Presbyteri sæpe etiam considerent quod auctor Imitationis CHRISTI lib. 4. cap. 5 : *Ecce sacerdos factus es, ... Non allevasti onus tuum; sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ et ad majorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus et aliis bonæ vitae exemplum præbere. Ejus conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in cœlo aut cum perfectis viris in terra.*

## CAPUT XII.

De egressu e Seminario et vitae ratione deinceps servanda.

125. Memor obedientiæ in ordinatione promissæ, neosacerdos parato sit animo ad obediendum, qualescumque fuerint functiones ad quas destinabitur; certum atque

persuasum habens sese eo fructuosius in vinea Domini laboraturum, quo magis erga Superiores docilis et obsequiosus fuerit, quandoquidem Scriptura Sacra dicit: *Vir obediens loquetur victoriam* (Prov. XXI. 28).

126. Absit ut otii vel commodioris vitæ desiderio functiones difficiliores obire detrectet, aut ad rudiorem vel pauperiorem parochiam mitti refugiat, dissimilis CHRISTO qui ad evangelizandum pauperibus se missum esse gloriabatur. Absit etiam ut ex inordinato erga parentes affectu invitus adeat parochiam ab illis longe distantem; hanc enim Salvatoris exprobationem mereretur: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Quantopere nimius erga propinquos affectus in Ecclesiæ ministris displiceret S. CAROLO BORROMÆO, patet ex hisce ipsius verbis: *Mihi intolerandum videtur quod adsint nonnulli quibus cum ecclesia proponitur cui deserviant, statim respondent eam sibi commodam non esse, ab agnatis et propinquis nimium distare. Absit utinam ab universo Clericorum cœtu spiritus iste!*

127. Multum desideret et in oratione enixe a Deo petat ad pastorem mitti, qui prudentia prædictus et zelo animarum flagrans, parochiam suam bene regit, ut sub ejus directione regimen animarum, quod *ars artium* merito nuncupatur, addiscere valeat.

128. E Seminario discedens D. Præsidi, cæterisque Superioribus salutem dicat et grates honeste persolvat. In pos-

terum grati erga Seminarium animi signa semper exhibeat.

129. Ad munus sacellani aliudve officium promotus, jugiter conetur cum accurata functionum adimpletione studium sacrarum scientiarum conjungere, ut in illis continue proficiat. Caveat præsertim ne aliorum salutem procurans, sacerdotalem perfectionem negligat, suamque salutem in discrimen adducat. Unde sæpe mente revolvat hæc verba Apostoli: *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar;* ac sibi speciatim dicta existimet: *Attende tibi, et doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.*

130. Parochum aliumve Superiorem debito semper honore prosequatur, et sub ejus directione, prout monet Conc. Prov. Tit. II. cap. VIII. et Synodus Diœc. cap. IV, ad omnes officii sui partes rite adimplendas informari studeat. Porro ipsum consideret, uti revera est, tamquam principale caput parochiæ, seipsum vero ut coadjutorem illius, de cuius consensu omnia peragenda sunt. Sciat ipsi reservari causas quascumque majores, cuiusmodi inter alias multas in parochia sunt: examen nuptu-  
rientium, approbatio neocommunicantium, determinatio horarum quibus Missæ aliaque officia divina celebrari debent, etc.

131. Consideret se, quantumvis scientia et virtutibus instructum, experientia tamen carere, quæ solo usu et hominum prudentum consuetudine acquiritur: nihilque in juniore sacerdote præsumptione periculosius esse;

quapropter humiliter de se sentiat, seniores sacerdotes magni aestimet et directioni Pastoris ac Decani libenter se subjiciat. Quae sibi agenda sunt ab eis exquirat; si quid grave occurrat, consilium eorum cum fiducia petat et cum docilitate excipiat ac sequatur. *Ut æqualium usus dulcior*, inquit S. AMBROSIUS, *ita senum tutior est, qui magisterio quodam et ductu vitæ colorat mores adolescentium et velut murice probitatis inficit.* Namque si hi qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quanto magis adolescentes cum senibus debent novum sibi iter vitæ aggredi, quo minus errare possint et a vero tramite virtutis deflectere? *Nihil enim pulchrius, quam eosdem et magistros vitæ et testes habere.* De Officiis lib. 1. c. 43.

132. Avaritiam fugiat; simul enim atque vitium istud sacerdotis auimum invaserit, non tantum animi pacem sed et famam et auctoritatem ipsi adimit. *Avaritia*, ut ait BEN. XIV, in brevi 30 Junii 1741, *nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat evellatque.* Habens igitur alimenta et quibus tegatur, contentus vivat; de honorariorum modicitate ne umquam conqueratur. In vestibus et supellectili christianam simplicitatem simul et decentiam status observet.

133. Sit homo interior et solitudinis amator. In cubiculo sacrarum scientiarum studio et exercitiis pietatis vacare in deliciis habeat. Rerum novarum ne sit avidus,

nisi quatenus ad religionem spectant. Gazulis politicis legendis ne nimium temporis impendat.

134. Ne se immisceat rei domesticæ Pastoris seu Superioris cui cohabitat; neque cum famulantibus nimis familiariter agat; obsequia indebita ab eis ne exigat, debita vero honeste semper postulet. Si domesticos erga eum minus recte agere contingat, infirmitati et ignorantiae eorum compatiatur, errata ignoscat, nec facile querelas faciat quibus malum aggravaretur. Laicos, præsertim vero mulieres, in suo cubiculo ne recipiat, sed in loco ad hoc destinato, prout mandat Concil. Prov. Tit. II. cap. VIII. Cum Parochus consanguineos aut amicos ad mensam recipit, Vicarius sumpto cibo discedat, nisi Parochus aliter postulet.

135. Consuetudines ecclesiæ ad quam missus fuerit, observet, nec quidquam immutet nisi annuente Pastore. Abusus aliave mala, si quæ deprehendat, Pastori revelet, et non nisi cum consilio ejus ipsoque præeunte corrigere aggrediatur.

Ne sit rigorosus nec laxus; sed hæreat in sano tuto medio.

136. Si quos defectus in agendi modo Pastoris deprehendat, ne ideo debitum honorem ei deferre prætermittat. Si sub Pastore minus zeloso constitutus sit, eo diligentius officium suum adimpleat; caveat tamen ne ipsum carpere aut supplantare videatur, nec defectus illius revelet, præsertim laicis.

137. Erga parochianos omnes sit urbanus et affabilis, cum nemine tamen familiariter agat, nec domus frequenter adeat, præsertim eorum quos erga Pastorem minus bene affectos noverit.

138. Sedulo evitet conversationem sacerdotum, si, quod Deus avertat, ejusmodi forsan occurrant, quos sic redarguit S. CAROLUS BORROMÆUS: *Qui non bonum ipsi facere volunt, sed et ab eo ceteros distrahunt, dicentes: quid facitis? ad quid tot reformationes? ... vœ hujusmodi sacerdotibus!*

139. Magnam erga Superiores seu spirituales seu temporales reverentiam semper corde retineat et ore profiteatur. Quinimo in concionibus et catechismis eam saepe fidelibus inculcet his aliisve Scripturæ Sacrae verbis: *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit, sive Regi, quasi præcellentí, sive ducibus, tamquam ab eo missis, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

**H**æc, uti confidimus, juxta mentem Trid. Sess. XXIII cap. XVIII de Ref., Spiritu Sancto suggestente, ut plurimum olim statuta, hisce renovanda vel decernenda duximus; ut Clerus noster ad religionem, pietatem et scientias Ecclesiasticas sub æstimatissimis Moderatoribus magis ac magis informetur. Verum enim vero „vita Seminarii — ut cum S. CAROLO BORROMÆO loquamur — tyrocinium est vitæ clericalis, et ab eorum, qui in Seminario vivunt, recta institutione totius Diœcesis bonum pendet.”

Praeter ea, quæ in Concilio Provinciali Tit. IX. cap. II. de sancta et religiosa regularum observatione decreta sunt, coronidis instar, quædam adjicere libet media, quibus sancta et religiosa illarum observatio mirifice adjuvabitur.

Primo venerabilibus Superioribus, nominatim vero charissimis nostris Alumnis commendamus jugem harum regularum meditationem et coram Domino ruminatem sive in meditatione, sive in lectione spirituali, sive, et præsertim, in examine particulari, etc.; persuasum enim sibi habeant a sedula et perfecta earum observantia multum pendere *positivam illam bonitatem*, quam in ordinando Theologi juxta SS. Canones requirunt, et quam Angelicus Doctor *excellentem bonitatem* dicit, *majoremque*

*in ordinando exigit quam in iis qui Religionem ingrediuntur, quia — verba sunt S. THOMÆ — „pondus Ordinum imponendum est parietibus jam per sanctitatem desiccatis, sed pondus Religionis desiccat parietes.”*

Dein ut spiritum Regularum plenius assequantur Alumni, ac nutriant, ordinamus, ut singulo mense, die *Recollectionis*, puncta aliqua harum Regularum Alumnis prælegantur et explicentur, imo vero ea occasione proponatur quidquid ad accuratam earum observantiam promovendam expedire videbitur.

Præterea Moderatoribus omnibus quidem cura et vigilancia ineumbit, speciatim tamen R. D. Directori, cuius proprium officium est, vigilancia demandatur, ut regulæ ab omnibus ad amissim observentur.

Postremo, quod ab initio in Seminario nostro observatum fuit, ut scilicet habeatur liber, in quo, ut loquitur S. CAROLUS, *ratio status uniuscujusque Alumni* describatur, hoc est: in quo fideliter annotentur, uniuscujusque nomen et cognomen, ætas annorum et studii, ordines sacri suscepti, talenta et progressus vel defectus in studiis, et, quod maximum est, progressus vel defectus in observantia Regularum et pietate, etc. iterato quidem hisce præscribimus; sed insuper expresse volumus, ut libri istius extractum per R. admodum Dominum Præsidem, post singulum examen in scriptis (N. 67) nobis fideliter exhibendum curetur.

Hac ratione, in quantum possumus, „SINGULORUM ado-

lescentium vitam, indolem et in studiis profectum explorando" (BEN. XIV. Encycl. *Ubi primum* § 2.), uti hucusque in Domino conati sumus, satisfacere intendimus tum vigilantiae in hac re pastorali, quam *continuam* postulant SS. Patres; tum cautioni gravi, quam in delectu ministerorum Ecclesiæ SS. Canones ab Episcopis requirunt; tum etiam mandato divino, quod Apostolus ingeminat I. Tim. V. 21. 22.: *Testor coram Deo et CHRISTO JESU et electis angelis... manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quem textum exponens S. CHRYSOSTOMUS ait: „Quid est illud *cito*? Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi diuturna consideratio præcessit exactissimaque discussio, tunc imponito manus.” —

Quod si igitur Nos, si meritissimi Moderatores vestri, tanta cum sollicitudine institutionem vestram clericalem, ex qua nedum vestra, sed tot animarum salus dependere noscitur, promovere et perficere pro munere satagimus: videte, charissimi, ut et vos tantis curis et laboribus digne respondere semper adnitamini. „Hortamus igitur vos omnes” — sunt verba Reverendissimi Prædecessoris, queis concludit Seminarii leges 30 Maii 1799 datas — „et obsecramus, ut Moderatoribus vestris et Superioribus, qui nostro nomine et auctoritate vobis præsunt, „et in scientia sanctorum vos instruunt, animum perpetuo tuo gratum, in omnibus submissum et venerabundum „exhibeatis, memores semper moniti Apostolici (Hebr.

„XIII.): *Obedite præpositis vestris et subjacete eis. Ipsi  
,,enim per vigilant quasi rationem pro animabus vestris  
,,reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes.  
„Date igitur hoc gaudium cordibus eorum”;* date et No-  
bis, dilectissimi, hanc gratiam, ut quoadusque *cursum  
nostrum consummaverimus*, audiamus *filios nostros in ve-  
ritate ambulare*: atque deinde, etiam *post obitum nostrum  
horum memoriam facientes*, vos et qui vobis successuri  
sunt, patrocinantibus B. M. V. et SS. Patronis nostris,  
*crescatis in gratia et in cognitione Domini Nostri et Sal-  
uatoris JESU CHRISTI. Ipsi gloria et nunc et in diem æ-  
ternitatis. Amen.* (II PETR. III. 18).

*Datum Buscoduci, die 3 Aprilis 1883.*

*Episcopus Buscoducensis,*

† A. GODSCHALK.

# APPENDIX.

---

## Nº. 1.

### CONFRATERNITATES

LEGITIME ERECTÆ, ITEMQUE ET ALIÆ INDULGENTIÆ CON-  
CESSÆ ET RITE, EX PERMISSU ILLUSTR. AC REV. DOMINI,  
PROMULGATÆ IN SEMINARIO BUSCODUCENSI,  
2<sup>æ</sup>. SECT. IN HAAREN.

1. Adorationis perpetuæ.
2. SS. Rosarii.
3. S. FRANCISCI XAVERII.
4. SS. Cordis JESU.
5. SS. et Immaculati Cordis B. V. M. pro conversione  
peccatorum.
6. SS. Trinitatis, — B. M. Virginis de monte Carme-  
lo, — septem dolorum B. M. V., — et Immaculatæ  
Ejusdem Conceptionis.
7. Adversus blasphemias, maledicta et turpiloquia.
8. Denarii S. PETRI.
9. Altaris privilegiati.
10. Pii Exercitii Viæ Crucis.
11. Pii Exercitii 40 horarum die Dom. in Quinqua-  
gesima diebusque proxime sequentibus.
12. Indulgentia plenaria SS. Exercitia item diem recol-  
lectionis menstruæ obeuntibus, secundum tenorem  
sequentis rescripti Apostolici :

„BEATISSIME PATER,

HENRICUS DEN DUBBELDEN, Episc. Emaus. Vic. Apost.  
Buscoducensis in *Neerlandia* S. V. humiliter supplicat:...

4º. Indulto Apostolico 30 Julii 1837, ad supplicationem nostram S. Sedes benigne concessit Indulgentiam plenariam *Sacerdotibus* nostri Vicariatus, qui trium saltem dierum spatio generalibus Exercitiis spiritualibus in Seminario, vel alio loco ab Ordinario designando vacaverint, si confessi et S. Communione refecti oraverint ad intentionem Suæ Sanetitatis. Item *Sacerdotibus*, qui recollectioni menstruæ intervenient, sacro peracto et fusis ad Deum ad fines consuetos precibus, plenarias Indulgentias, etiam fidelibus defunctis per modum suffragii applicabiles. —

Cum vero hujusmodi exercitia per triduum, item recollectiones menstruæ in Seminario nostro ab Alumnis Seminarii obiri quoque soleant, humiliter supplicat orator, ut et Alumni Seminarii (in utraque sectione); itemque si forte alii fideles ibidem similia pietatis exercitia peragerent, easdem indulgentias lucrari possint, modo S. Communione refecti in ipso triduo, et die recollectionis ad intentionem Sanctitatis Vestræ oraverint.”

„Ex audiencia SS. D. die 19 Decembris 1847.

SS<sup>mus</sup> D<sup>uus</sup> Noster PIUS D. Prov. PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Pro-Secretario, mature perpensis expositis, benigne mandavit rescribi ut sequitur:

Ad 4<sup>o</sup>. pro gratia in omnibus juxta preces.

Datum Romæ ex aed. dic. Sac. Cong. die et anno  
quibus supra.

*Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.*

*Sign. ALEXANDER BARNABO,*

(L. S.) *Pro-Secret."*

---

N<sup>o</sup>. 2.

ORDO EXERCITIORUM SPIRITALIUM 10 DIERUM

ANTE SUSCEPTIONEM SS. ORDINUM.

PRIDIE EXERCITIORUM.

Prævie a singulo Ordinando e *Catechismo de Tonsura*  
leguntur Monita communia pro exercitiis bene obeundis.  
ab hora Recitantur Matutinum et Laudes sequentis diei.

4  $\frac{1}{2}$  | Litaniæ B. M. Virg. ad implorandam opem.

ad | 4 Puncta præparatoria.

6  $\frac{1}{4}$  | THOM. A KEMP., de Imit. CHRISTI, Lib. I. Cap. XX.

6  $\frac{1}{2}$  | Intersint precibus vespertinis.

SINGULIS DIEBUS EXERCITIORUM.

ab hora Hymnus: *Veni Creator.* Preces communes ma-  
tutinæ. Missa.

5 | Recitatur privatim Rosarium 5 decadum.

ad | Litaniæ SS. Nominis JESU.

6  $\frac{1}{2}$  | Septem Psalmi pœnitentiales cum Litaniis.

7 | Missa.

|                 |  |
|-----------------|--|
| ab hora         | Recitatur officium Primæ et Tertiæ.                              |
| 8 $\frac{1}{4}$ | Leguntur duo puncta priora 1. meditationis diei correspondentis. |
| ad              | THOM. A KEMPIS, ut notatur.                                      |
| 9 $\frac{1}{4}$ | Rosarium 5 decadum.  |

|                  |  |
|------------------|--|
| ab hora          | Officium Sextæ et Nonæ.                          |
| 10               | Duo puncta posteriora 1. medit. diei correspond. |
| ad               | THOMÆ A KEMPIS, ut notatur.                      |
| 11 $\frac{1}{2}$ | Exercitatio liturgica.                           |
| 11 $\frac{3}{4}$ | Examen, adoratio, etc.                           |

POST MERIDIEM.

|                 |  |
|-----------------|--|
| ab hora         | Recitatur officium Vesperarum et Completorium. |
| 2               | Duo puncta priora 2. meditationis diei.        |
| ad              | THOMÆ A KEMPIS, ut assignatur.                 |
| 3 $\frac{1}{2}$ | Exercitatio liturgica.                         |

|                 |   |
|-----------------|---|
| ab hora         | Recitatur officium Matutini et Laudum sequentis diei. |
| 4 $\frac{1}{2}$ | Duo puncta posteriora 2. meditationis diei.           |
| ad              | THOMÆ A KEMPIS, ut assignatur.                        |
| 6 $\frac{1}{4}$ | Rosarium 5 decadum.                                   |
| 6 $\frac{1}{2}$ | Intersint precibus vespertinis.                       |

POSTRIDIE EXERCITIORUM.

|                 |   |
|-----------------|---|
| ab hora         | <i>Veni Creator.</i> Preces communes matutinæ. Missa. |
| 5               | 4 Puncta meditationis unicæ et ultimæ.                |
| ad              | THOMÆ A KEMPIS, ut indicatur, Lib. I. Cap.            |
| 6 $\frac{1}{2}$ | XXV. et Lib. III. Cap. LIX.                           |
| 7               | Missa. — Communio. — Gratiarum actio.                 |

Hæc, quæ legenda præscripta sunt, alta, distincta et lenta voce, ab Exercitantibus, juxta ordinem a Magistro assignandam, præstantur; nisi Missæ sacrificio, administratione pœnitentiæ, aut alio ministerio impeditum sit sacellum; quibus casibus prædicta a singulis Exercitantibus, statis horis, privatim persolvuntur.

Actus virtutum theolog. etc..., ut in fine meditacionum libelli assignantur, frequenter erunt sub Exercitiis spiritualibus præstandi, sive in communi, sive a singulis, pro opportunitate temporis, et indicatione Magistri.

Subinde poterunt et Litaniæ precesque diei per hebdomadam correspondentis, a Magistro recitandæ designari.

Horas hic præscriptas ad rigorem observabunt Exercitantes.

Silentium ac tempus recreationis transigent in tranquilla et suavi conversatione, potissimum cum sodalibus itidem exercitantibus.

Abstinebunt ab omni lectura curiosa et studio arduo, item a conversatione lusuque dissipatorio.

Cum extraneis vero non conversabuntur, neque pedem extra Seminarii limites ferent, sine expressa venia Moderatorum.

Observabunt jejunium, quantum ad numerum et quantitatem refectionum.

---

N<sup>o</sup>. 3.

EXERCITIA SPIRITALIA TRIUM DIERUM  
IN INGRESSU SEMINARII POST FERIAS MAJORES.

---

ORDO DIEI.

Hora 4  $\frac{3}{4}$  Surgitur.

- 5 *Veni Creator* cum precibus matutinis.
- 5  $\frac{1}{4}$  Sacrum.
- 5  $\frac{3}{4}$  Tempus liberum.
- 6 Meditatio.
- 7 Sacrum.
- 7  $\frac{1}{2}$  Jentaculum; dein tempus liberum.
- 8  $\frac{1}{4}$  Primæ et Tertiæ.
- 8  $\frac{1}{2}$  Lectio spiritualis.
- 9 Tempus liberum.
- 9  $\frac{1}{2}$  Meditatio.
- 10  $\frac{1}{2}$  Tempus liberum.
- 11 Sextæ et Nonæ.
- 11  $\frac{1}{4}$  Tempus liberum.
- 11  $\frac{3}{4}$  Examen status.
- 12 Prandium.

POST MERIDIEM.

Hora 2 Rosarium et Vesperæ.

— 2½ Tempus liberum.

— 3 Conferentia.

— 3¾ Potus.

— 4¼ Matutinum cum Laudibus.

— 5 Tempus liberum.

— 5½ Meditatio.

— 6½ Preces et Laudes.

— 7 Cœna ; dein recreatio.

— 8½ Examen, puncta meditationis et *Adoro*.

---

Nº. 4.

ORDO RECOLLECTIONIS MENSTRUÆ.

Hora 5 *Veni Creator* cum precibus et meditatione consuetis.

— 5½ Sacrum.

— 6 Studium more solito.

— 7 Sacrum.

— 7½ Jentaculum, sub quo continuo aliquid prælegitur ex libro „*De imitatione Christi*”; dein tempus liberum.

— 8¼ Primæ et Tertiæ.

— 8½ Meditatio seu instructio.

— 9½ Tempus liberum.

— 10 Sextæ et Nonæ.

- Hora  $10\frac{1}{4}$  Lectio spiritualis.  
— 11 Tempus liberum.  
—  $11\frac{3}{4}$  Altera lectio spiritualis.  
— 12 Prandium more solito.
- 

ORDO RECOLLECTIONIS , QUÆ INCIDIT IN  
DIEM DOMINICAM.

- Hora 7 Missa ut supra ; dein Jentaculum.  
—  $8\frac{1}{4}$  Meditatio.  
—  $9\frac{1}{2}$  Missa in cantu sine ministris.  
—  $10\frac{3}{4}$  Lectio spiritualis.  
—  $11\frac{3}{4}$  Altera lectio spiritualis.  
— 2 Vesperæ solemnes , quibus finitis audiuntur confessiones.  
— 5 Studium more solito.
- 

N<sup>o</sup>. 5.

Bibliotheca Seminarii , Professorum usui primarie destinata , Alumnis quoque inservire poterit de expressa licentia Professoris Bibliothecarii , cuius erit dijudicare , an et quatenus res ista in casu particulari expedire videatur.

---

# INDEX.

—o—

|  | PAG. |
|--|------|
| <i>Proœmium.</i> . . . . .   | 5    |
| <b>CAPUT.</b>  |      |
| I. <i>De admissione et ingressu in Seminarium</i> . . . . .                    | 14   |
| II. <i>De fine quem Alumni Seminarii sibi proponere debent</i> . . . . .       | 15   |
| III. <i>De acquisitione virtutum</i> . . . . .                                 | 17   |
| IV. <i>De exercitiis pietatis in Seminario peragendis</i> . . . . .            | 25   |
| V. <i>De disciplina Seminarii</i> . . . . .                                    | 29   |
| VI. <i>De acquisitione scientiarum</i> . . . . .                               | 31   |
| VII. <i>De scientiis quibus Alumni Seminarii incumbere debent</i> . . . . .    | 33   |
| VIII. <i>De functionibus sacris aliisque exercitationibus</i> . . . . .        | 35   |
| IX. <i>De distributione diei</i> . . . . .                                     | 39   |
| X. <i>De regulis honestatis in Seminario observandis</i> . . . . .             | 41   |
| <i>Regulæ honestatis in sermone servandæ</i> . . . . .                         | 41   |
| <i>Regulæ honestatis in motibus corporis servandæ</i> . . . . .                | 49   |
| <i>Regulæ honestatis in mensa servandæ</i> . . . . .                           | 50   |
| <i>Regulæ honestatis in vestibus servandæ</i> . . . . .                        | 52   |
| XI. <i>De examine vocationis et ordinum susceptione</i> . . . . .              | 53   |
| XII. <i>De egressu e Seminario et vitæ ratione deinceps servanda</i> . . . . . | 58   |
| <i>Epilogus</i> . . . . .  | 64   |

## APPENDIX.

Nº.

1. *Confraternitates legitime erectæ, itemque et aliæ indulgentiæ concessæ et rite, ex permisso Illust. ac Rev. Domini, promulgatæ in Seminario Buscoducensi, 2<sup>a</sup>. Sect., in Haaren* . . . . . 68
2. *Ordo Exercitiorum spiritualium X dierum ante susceptionem SS. Ordinum* . . . . . 70
3. *Ordo Exercitiorum spiritualium trium dierum in ingressu Seminarii post ferias majores*. . . . . 73
4. *Ordo recollectionis menstruæ* . . . . . 74
5. *Bibliotheca Seminarii* . . . . . 75

26  
27  
28  
29  
30  
31  
32

•8,  
tutiones  
redit re-  
ris vol.  
16 fr.

tim, et  
rimonin.  
50 c.

Mr.  
im Séminaire, orum et  
fort vol. in-12. 4 fr.

A PHILOSOPHIE, à l'a-  
vires et des Ecoles. 2 vol.  
12 fr.

ET CANONIQUE DES  
STIQUES, ce qu'ils ont  
uvent être de nos jours.  
1 fr.

pour but de donner une  
conse de nos jours.